MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80230-23

AUTHOR:

BOTTICHER, WILHELM

TITLE:

DE LINGUAE LATINAE ROMANARUMQUE...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1841

Master Negative #

91-80230-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.09
Z

Böttlicher, Wilhelm, 1798-
...De linguae Latinae Romanarumque litterarum studio ad augendam illustrandamque in iuvenili institutione Christianam fidem ac doctrinam aptissimo commentatio, vom Prof. Wilh. Böttlicher... Berlin, Hayn, 1841.
50 p. 23 cm.

At head of title: Jahresbericht über das Königliche Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Berlin...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/10/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Contents.

Jahresbericht

über

das Königliche

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

zu Berlin

von Michaelis 1840 bis dahin 1841.

Inhalt:

Berlin, 1841.
Druck von A. W. Hayn.

Guilelmi Boetticheri

de linguae Latinae Romanarumque litterarum studio ad augendam illustrandamque in iuvenili institutione Christianam fidem ac doctrinam aptissimo

commentatio

Augusti Spillekii manibus

pie colendis

sacra.

Crebrioribus interdum maioribusque documentis Deus optimus maximus sua se voluntate sanctissima omnium rerum moderari vicissitudines ac suum cuique vitae statuere terminum probare solet. Quod nos quidem nunquam maiorem in modum brevioreque temporis spatio experti sumus, quam quo post illustrissimi viri, qui diu ecclesiasticis atque his nostris scholasticis rebus praefuit, obitum, ipsius regis nostri potentissimi, patris patriae clementissimi decessum toti terrarum orbi acerbissimum, deinde optimae spei adolescentes praematura nobis morte ereptos, postremo cum quoque, penes quem summum fuit huius scholae regimen, Spillekium nostrum exspectatione omnium citius fato functum luximus. Nullo igitur tempore nec ii, quibus iuventutis nostrae cura demandata est, muneris a numine divino impositi magnitudinem gravitatemque melius intelligere, nec ipsi discipuli facilius illud non scholae, sed vitae, et aeternae quidem, non angustissimis his terrae huiusce finibus circumscriptae, discendum esse, perspicere potuerunt. Nec defuisse inter hos, qui quaecunque in variis disciplinarum, quibus operam dabant, generibus ad hanc rem probandam facere viderentur, maiore studio atque etiam ardore quodam exciperent, pio gratoque in Deum benignissimum animo profiteor, et eos quoque, qui aut tardiore praediti ingenio aut levioribus plerumque studiis dediti be-

betiores obtusioresque ad talia esse solent, magis tamen his temporibus commoto atque erecto fuisse animo animadvertisse mihi videor. Fuerunt vero etiam multa, quae eos ad has res diligentius perpendendas simul cohortarentur, animosque salutari quodam mortis omnibus impendentis metu perculsos in divinis humanisque rebus contemplandis religione quadam implerent atque perfunderent:*) defuncti regis nostri auctoritas in uno se Deo acquiescere solaque iudicii eius clementia confidere pia mente professi; filii eius augustissimi, quem nunc optimi parentis vestigiis insistentem regem ac dominum veneramur, Christianae fidei convenientissima virtus ac pietas; excellentissimi spectatissimique viri, quem ipse educandae erudiendaeque iuventutis Borussicae summam curam agere iussit, egregie consentiens cum illa virtute ac pietate exemplum; ipsius, cuius nos mortem dolemus, cuiusque maxima erga iuventutem nostram merita et singularem in praedicanda altiusque efferenda doctrina Christiana facultatem omnes lubentissimo animo agnoscunt, vigens inter omnes ac facunda nuper oratione a iuvene ingeniosissimo, olim gymnasii nostri alumno, publice etiam celebrata memoria;**) commilitonum denique subita morte in medio adolescentiae flore absumptorum insignis quaedam iucunditas ac caritas.

Quamobrem, quum nos quoque, quantum est in nobis facultatis, ad provocandum confirmandumque hunc in adolescentium animis sensum ipsa docendi qua utimur ratione conferentes, has opportunitates in usum nostrum converterimus, delato ad nos huius libelli et Latine quidem conscribendi munere optime fungi nos posse credidimus, si, quomodo his maxime temporibus ipsis Latinis litteris tradendis ad mores iuventutis emendandos conformandosque usi essemus, exponeremus. Atque ita pluribus simul iisque gravissimis officiis satisfacturos nos esse speramus. Primum quasi nunc iam una cum eo viro, quem ipsi olim praeceptorem, amicum, collegam, publici muneris rectorem ac magistrum pie coluimus, Deo, sanctissimo iudici, negotii nobis ab ipso

---

*) Quare solito maiore et verecundia et veritate inter ipsas illas mortes, quas luximus, illud „de mortuis nihil nisi bene“ persecuti sunt, quod velut fato ita struente Latinae iis commentationis argumentum oblatum erat. Rectissime quidam, ut illa nihil nisi bene cum veritatis lege conciliarent, Christianum proposuerant praeceptum: „die Liebe schweigt (si fas est scilicet), wo sie nichts Gutes von dem Nächsten weiſs (besonders von Verstorbenen)“. Kniewel's Christl. Religionsbuch §. 48.

**) Memoria Aug. Spillekii praeceptoris. Berol. Guil. Besseri sumpt. Fateor, me quoque praeceptori Spillekio plurimum debere, nec unquam obliviscar, quo me annis illis 1815 et 1816 patriae pariter ac religionis studio inflammaverit; quanquam nunc multis in rebus alia sequor.

iniuncti rationem reddentes, in eo haud dubie nos consensisse probabimus, quod doctrinam institutionemque iuvenilem omnem ad excitandum in adolescentium animis virtutis honestatisque studium referendam esse duximus.*) Deinde unius disciplinae exemplo proposito, quomodo reliquae omnes ad augendam illustrandamque fidem ac doctrinam Christianam revocari possint, si non demonstrabimus, tamen huius rationis via quodammodo indicata significabimus. Tum, quod ea proponimus, quae et nota sunt discipulis et ad ipsum vitae usum ab iis referri possunt, iterum,**) quantum pro mediocri hac nostra auctoritate valebimus, ad eam rationem huiusmodi scripta scholastica reducenda esse ostendemus, quam dudum a plurimis praeceptoribus omissam multi iam iique haud spernendi huius rei indices doluerunt. Porro, quod saepius iam conati sumus,***) hoc quoque libello eorum refutabimus errorem, qui, quanquam plerumque nec quid omnino ad vitam bene beateque agendam pertineat, nec quae sit veterum scriptorum vis ac praestantia usu cognitum habent, toto hoc antiquitatis studio eruditissimam hanc nostram aetatem facile supersedere posse opinantur. Denique, quod gravissimum esse videtur his temporibus, quibus plurimi homines, a Christiana fide ipsi animo quidem longe abhorrentes, totam hanc religionis doctrinam sacerdotibus ac concionatoribus ecclesiasticis demandandam relinquendamque esse arbitrantur, esse etiam inter praeceptores iuventutis, qui illam fidem ac doctrinam non defendant modo, sed intentissima etiam cura confirmare ac propagare studeant, nostro quoque qualicunque exemplo comprobabimus.

Priusquam vero, quomodo et in scriptorum Latinorum interpretatione et in variis linguae Latinae exercitationibus, quales in gymnasiis nostris institui solent,

---

*) Cf. Spillekii libellus a. 1823 editus „Ueber die gegenwärtige Einrichtung des Königl. Fr. Wilh. Gymnasiums cet.“ Quae ibi pag. 3. leguntur „Es soll in der Schule nicht blos unterrichtet, sondern auch erzogen werden, es soll Wissenschaftliches und Sittliches, Lernen und Leben nicht blos neben einander gehen, sondern vielmehr in einander aufgehn“ huius quidem consensionis nostrae certissimum sunt documentum. De Christiana virtutis illius vitaeque ratione cf. quae eiusdem lib. p. 39 sqq. proposita sunt.

**) Anno 1830 scripsimus de θείῳ Herodoteo cet., unde sponte apparet, non velle nos omnem ab his scriptis abesse doctrinam, sed eam, quae nihil ad ipsam vitam pertineat.

***) In oratione in tertiis sacris saecularibus receptae a marchiis Brand. reformatae per Mart. Luth. religionis in gymnas. Fr. Guil. habita, ed. Berol. 1839, sumpt. H. Schultzii; in libro qui inscriptus est Prophetische Stimmen aus Rom, oder das Christliche im Tacitus cet., Hamb. cura Perthes. 1840; in libello nuper Berol. edito sumpt. Guil. Thome: Eins ist Noth, den Fürsten und den Völkern etc.

ad finem supra propositum assequendum versatus sim, documentis in medium prolatis ostendam, primum in universum, deinde Romanarum potissimum litterarum ratione habita, omnia, quae in scholis tradantur ac praecipiantur, quum omnino ad mores iuventutis colendos, tum ad vitam Christianae fidei congruenter instituendam agendamque referri et posse et debere, paucis demonstrandum mihi esse credo.

Ipso iam nomine scholarum verissimum esse probatur quod, ut prudentissimi omnium aetatum ac gentium philosophi, ita praestantissimi Christianae veritatis vindices professi sunt, iis qui veram bene beateque vivendi rationem cognoscere et ad vitam quum sibi tum rei publicae utilem ac salutarem rectam invenire velint viam, placida quadam quiete opus esse, quam ratio componat,*) divino illo otio (*θείᾳ σχολῇ*), quo animus ab externis avocetur et in se descendere cogatur. Nam, quod vel lapidis crystalli origo docet, qui nisi quieto humore, unde coalescit, concrescere solidarique nequit, id multo magis in iis usu venit, quae ad vitam moresque conformandos pertinent. Quare Graeco more scholas se habere dicebant Romani,**) si vacui ab externis curis de gravioribus rebus sermones conferebant. Quae vero gravior res nobis videri potest, qui volumus tamen Christianam profiteri fidem, quam divina illa pax, cuius unus Christus nobis exstitit auctor, quam unum illud, cui ceteris omnibus neglectis intenta Maria magistri sui pedibus auscultandi causa assidens Martha sorore beatior ab ipso praedicatur? En habetis in ipsa schola templum, ubi silent omnia, ut prophetae utar verbis, solusque Deus ad animum accedit pia laude ipsum celebrantem; habetis, quod esse ita a Deo sapientissimo institutum omnibus saeculis intellectum est, cuius tamen nostris maxime temporibus vix species aliqua et umbra permansit, habetis arctissimis vinculis inter se coniunctas ac copulatas ecclesiam quam dicunt Christianam ac scholas illas verbi spiritusque divini officinas. Nam sic pie vereque appellabant maiores nostri; nunc audito hoc nomine fide carentes multi vix risum tenere possunt. Utinam ne iure nonnunquam riderent!***) Esse vero summum finem scholis propositum eundem, quem ecclesia

---

*) Cf. Senec. Epist. 56. 55. Recta vero ratio summi est Dei, *ὀρθὸς λόγος*, Christus, humana omni ratione superior. V. infra.

**) Cf. Cic. Tusc. 1, 4, 7, 8; 3, 34, 81. Egregie Pestalozzius „Stille“, inquit, „als Mittel, die Thätigkeit zu erzielen, ist das erste Geheimnifs einer guten Schule“. V. Lehrerspiegel. Meurs 1837. p. 62.

***) Spillekio quoque nostro magis nonnunquam in deliciis erat, quam huius nostrae aetatis aures ferre poterant. Sed fuit ipse quodammodo *χάων τῶν ἐπάνωθεν* (Theocr. Id. 7.). Volebat certe

per omnem saeculorum decursum sequitur ac sequetur, ipsum liberatorem generis humani Iesum Christum, iis tantum dubium esse potest, qui naturam hominis fideique Christianae vim ac potestatem pariter ignorant. In eo enim tota vita nostra, quae quidem digna sit hoc nomine, vertitur, ut ipsum vivere, quodque idem valet, si vigentem in omnium animis peccandi libidinem noveris, mori quotidie discamus, ut ad veram eius perveniamus virtutem (vollkommenen Mannesalter), qui per ipsam mortem aeternae nobis vitae exstitit auctor. Exstitit autem eadem illa verbi divini potentia, qua ipsum mundum creatum esse credimus, qua divinarum humanarumque rerum omnium ordinem teneri, regi, altius usque provehi scimus. Nihil igitur est educare iuventutem nisi illius auxilio in libertatem vindicare, eique ipsi iuventuti quotidie quasi tacite quaerenti „quomodo adolescens omnem in via, qua ingreditur, offensam vitabit?“ monstrata via respondere illud „si observabit verbum Domini“*) ut, dum ab eo regi se patitur, dum in eo vires suas omnes exercet,**) dum veram libertatem esse iudicat illi dicto audientem esse, eius sub patrocinio vere sui iuris esse discat. Quam vulgo libertatem appellant, ad quam humanis, quaeque certa nulla nec duratura auctoritate nituntur, praeceptis usi iuveniles animos conformare student, error est ac licentia, nec unquam irritum infectumque erit quod apostolus ait: „nolite errare, fratres; Deus illudi se non patitur; homo, ut sementem fecerit, ita metet!“ Quare si volemus arbores serere, quae alteri prosint saeculo, divini illius verbi utamur seminibus; nec minus haec ipsa in promptu nobis sunt, quam paratus est ubique ager, quem conserendum nobis in ipsis puerorum adolescentiumque animis Deus commonstrat. Nam licet in universum iuventutem quoque saeculi nostri vitiis velut contagione quadam correptam esse dixeris, nec immerito, qui volunt possuntque ingenium eius penitus introspicere, de inertia, vanitate, licentia, impietate multorum querantur,***) ut etiam per fallacem nonnunquam verecundiae pietatisque speciem contemptorem divinarum

---

ecclesiae adducere scholarum alumnos. „Nicht blos der christlich religiöse Sinn soll unter der Jugend geweckt werden; es thut eben so Noth, namentlich auf der Gelehrtenschule, auch den kirchlichen Sinn zu wecken“. V. libr. supra laud. p. 42.

*) V. Psalm. 119, 9. cf. Sirac. 14, 22; 32, 17. et Poet. Gnom. ed. Lips. p. 176 *ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ λάλει καὶ μάνθανε.*

**) Cf. 1 Tim. 4, 8. „Die leibliche Uebung (in dei cultu) ist wenig nütze; aber die Gottseligkeit ist zu allen Dingen nütze, und hat die Verheifsung dieses und des zukünftigen Lebens“.

***) Cf. libr. nostr. „Eins ist Noth cet.“ p. 188. sqq.

rerum animum dispicere possis: est tamen, est in plerisque omnibus maior quam in maxima reliquorum hominum parte pietas ac religio, maius etiam Christianae veritatis ac virtutis desiderium, intentior quaedam earum rerum, quae ad vitam bene beateque agendam pertinere videantur, cura. Quare nunc etiam valet, omnibusque valebit temporibus, quod ipse de infantibus olim Christus suis praecepit: nolite a me hos parvulos arcere; nam hi quidem proxime accedunt ad beatam illam vitam, cuius ego homines participes reddo; et quemadmodum Petrum, quum ex eo quaesivisset, num maiore se, quam reliqui discipuli, amore amplecteretur, isque scire ipsum amoris sui ardorem respondisset, ut pasceret agnos, pasceret gregem suum hortatus est, sic per omnia saecula a cunctis, qui vero eum studio sequuntur, idem postulat; eademque nunc quoque largae messis a patre coelesti paratae spe, quam suis tunc aperuit, ut maiorem usque messorum numerum Deus suppeditet, discipulos suos precari iubet. Sint modo veri messores; sint Petri illius similes, „non esse aliam, quam quae a Iesu Christo proficiscatur, salutem hominibus propositam", fatentis; sit omnibus persuasum, quod idem Petrus profitetur (Ep. I., 4, 11) quidquid loquamur, quocunque fungamur munere, uti nos in eo data a Deo potestate, ut Iesu Christo nobis opitulante et auxiliante sanctissimum illius nomen praedicemus! Nam falsissima est ac perniciosissima multorum opinio, hanc divinarum rerum, ut in omni vita, ita in iuvenili institutione professionem sola sibi ea vindicare tempora, quae legendis explicandisque sacris libris rebusque ad ipsam fidem Christianam pertinentibus perpetua oratione comprehendendis destinata sint.

Si cuncta, nulla usquam ne minima quidem re excepta, ad rectam illam summi Dei rationem referenda sunt, unde omnes res ortas esse credimus, ut, quae apostoli verba sunt, Christus omnium rerum sicuti fons est et origo, ita caput sit ac consummatio (*τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν Χριστός* Col. 3, 11), si nullius unquam rei scientia ac doctrina a Iesu Christo, ut ab omnium rerum inscitia et errore nos liberaret, cruci affixo seiuncta (1 Cor. 2, 2) ad beatam aeternamque vitam pertinere potest: quis, quaeso, ullam disciplinam, quis quidquam earum rerum, quae iuventuti illi ad Christianam veritatem vel propter aetatem proxime accedenti traduntur, a fide Christiana plane segregari posse putabit? Nulla pars doctrinae, nulla inquam, a religione prorsus est vacua, quanquam quaedam res propius, quaedam minus prope ab ea abesse videntur. Ne eas quidem excipio disciplinas, quae *μαθήματα* a Graecis appellabantur (Gell. 1, 9, 6), quum, qui in iis exercitati sunt, ut olim philosophari, nunc utrumque, et philosophari et Christiana ratione recte uti, omnia explorare, eligere optima facilius discant. Nisi forte falsum vanumque esse credimus, quod vel adolescentulis a Christianae sapientiae

doctoribus praecipitur, Deum ipsum benignissimum omnibus uti rebus, ut gratiae benevolentiaeque suae participes nos reddat.*) Nonne, quod est in sacris libris (Ies. 65, 2), Deus o. m. diu noctuque manus suas porrigit, ut ab erroribus homines ad rectam retrahat viam? non idem Christus, ut arripiant has manus, gestientes quasi ac sitientes gratiam divinam fingit infantes? Eodem vero referri potest, quod Cicero (Tusc. 5, 27) divina illa bona longe lateque se pandere coelumque contingere dicit, quae qui adeptus sit beatissimus appellari possit; eodem, quod apud Senecam (epist. 52; cf. 7. 41. 50) legimus: „nemo per se satis valet ut emergat; oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat"; eodem denique, quod recentiores etiam haud raro confessi sunt, unamquamque artem ac disciplinam manum quasi habere, quae coelum aeternaeque veritatis imaginem commonstret;**) ut nulla possit in re maior esse omnium partium consensio, quam quae in hac est ratione, quae inter ipsum Deum et homines et res, quibus divina illa bona acquirant, intercedit. Quodsi ea omnia ad officia pertinent, „a quibus constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur" (Cic. de off. 3, 2), ad philosophiam illam, „quam primus Socrates devocavit e coelo et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere" (Tusc. 5, 4), ut iis, qui vitam honestam ingredi cogitent, nihil magis conducere Cicero arbitretur (de off. 3; 2), quam „talibus vocibus aures undique circumsonare": quis est qui dubitet, quin verbum illud divinum, quod ipse, qui nobis aperuit, e divina mente profectum unumque vitae beatae fontem appellat, omnium philosophorum placitis ac praeceptis ad recte vivendum efficacius, quum omnibus in rebus, tum in puerorum adolescentiumque educatione diligentissime coli et, ut libri sacri praecipiunt (lasset das Wort reichlich unter euch wohnen), ubique domicilium quasi in hominum animis collocare debeat? Est enim ex ipsa ortum ratione divina, unde omnia creata et ordinata esse constat, nec quidquam sine

---

*) V. „Die christliche Religionslehre von Schmieder" (profess. olim Portensis) §. 82. sq. „Die Gnadenmittel sind so mannigfaltig und so reichlich überall in der Natur und Geschichte, in Wissenschaft und Kunst — in den Erfahrungen des eignen Herzens und Lebens ausgestreut (recte vero ita locutus est V. C. quasi *λόγον σπερματικὸν* significans, quem etiam in vett. scriptoribus patres ecclesiae inesse crediderunt), dass wir hierin nicht genug den Reichthum der Weisheit und Erkenntniss Gottes bewundern können. Wohl dem Menschen, der dafür Augen, Ohr und Herz offen hat! wehe dem, der sich absichtlich dagegen verschliesst!" Cf. ad Rom. ep. 11, 33; 2, 4 sq.

**) V. Dielitz „Ueber die erziehende Kraft der Schule" in Spillekii „Jahresbericht über die hiesige Königl. Realschule. Berol. 1841. p. 20.

eo recte aut suscipi aut peragi potest, ut ne oratio quidem ulla satis valeat, nisi huius verbi, penes quod aeternum ius est ac divina norma loquendi, velut sale quodam, adspersa atque imbuta sit veritate ac sapientia. Nihil igitur quod vera sempiternaque laude dignum sit, in scholis gymnasiisque nostris docendo praecipiendoque ulla in disciplina efficitur, nisi eius praesente auxilio, qui ipse nihil unquam suos sine ipsius opera efficere et ad exitum perducere posse professus est.*) An is, cui non minus profecto ab ipso Deo Christoque quam a parentibus magistratibusque puerorum adolescentiumque cura demandata est, duabus per hebdomadem horis, quibus de ipsa religione agi solet, potest hoc fungi officio, reliquis omnibus non potest? Num Graecus poeta,**) qui ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις inquit, ἂν μὴ νοῦς παρῇ, plus divinavit, quam Christiani intelligunt homines? Quod vero magnum ita periculum esse aiunt, ne aut obtundantur divinis illis praeceptis adolescentium aures taedioque eorum impleantur, aut pravo quodam studio ad arcana religionis ac mysteria nihil profutura scrutanda abripiantur, quod porro vix ad solita scholarum munia tempus suppetere, nedum talia etiam ingerendi inculcandique otium esse dicunt, suo loco, ubi de Latinis agitur, pluribus ad ea respondebo; nam quod una in disciplina valet, ad reliquas quoque referri potest. Interim haec dixisse satis habeo: veram pietatem paucis et uti et indigere verbis, nec magis eam homines, quam ipsum Deum longa fatigare oratione; ad angustissima vero spatia religionis ablegare disciplinam, ne in reliquis quasi negotia facessat alias res agentibus, impium prorsus esse, et quod de philosophia Baco dicat „leves gustus movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere", id vel maxime ad sacras disciplinas ipsamque scripturam sacram pertinere***), nec unquam eum, qui semel quasi eas transegisse, expedivisse, absolvisse contentus, postea nec dictis nec factis eas comprobet, vero se eas animo amplecti veroque persequi studio fidem facere posse discipulis. De mysteriis autem nihil esse quod dubites, in iis enim verti totam religionem Christianam, ut rectissime sane idem Baco dixerit: „animus ad amplitudinem mysteriorum

*) Evang. Joann. 15, 5 χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν.

**) V. Poet. Graec. Gnom. ed. Lips. p. 185.

***) Cf. Sirac. 32, 19 „Wer nach Gottes Wort fragt, der wird's reichlich überkommen; wer's aber nicht mit Ernst meint, der wird nur ärger dadurch." Tantum vero abest, ut hac nostra adhibita ratione leviter modo delibentur, quae ad fidem ac doctrinam Christianam augendam illustrandamque pertinent, ut ita plenissimis ipsaque rerum varietate iucundissimis haustibus uti queamus.

pro modulo suo dilatetur, non mysteria ad angustias animi constringantur". Temporis denique neminem adhuc poenituisse, quod vera pietate ductus sacris impenderit; neque publicis quemquam privatisve intentum negotiis, nec litterarum nec artium alicui deditum studio, Deo se minorem gerendo maioremque divinarum rerum curam agendo impeditum fuisse, quominus suas etiam res strenue gnaviterque perageret;*) esse vero multos, qui ultra terminos gymnasiis a recta institutionis iuvenilis ratione statutos evagentur, quibusque hac quidem in re nullum tempus satis sit longum. Quodsi Cicero (de off. 1, 6, 6) in veri investigatione nimio studio a rebus gerendis abduci contra officium esse dicat, hos vel maxime contra officium agere, qui iis praeceptis nihil temporis relinqui velint, quibus solis Christiani quidem ad res bene gerendas excitari confirmarique possint.

Quae quum ita sint, cui tandem mirum videri potest, gymnasiis potissimum, ubi eorum plerumque adolescentium vires exercentur, qui gravissima rei publicae munera capessituri sunt, eique, cui iure plurimum in his scholis tribuitur, antiquitatis studio, hunc quem diximus summum esse propositum finem? An nulla nunc est eorum auctoritas, qui tribus abhinc saeculis sacra nostra emendaverunt, Lutheri, Melanchthonis, aliorum, qui quum non minus Graecarum Romanarumque litterarum, quam sacrae scripturae periti essent, totum hunc, qui etiam nunc obtinet, scholarum nostrarum statum ita ordinaverunt, ut quam maximus inde ad ipsam vitam Christianam fructus redundaret? Nihilne ad Christianae huius vitae rationem verba illa Friderici Richteri clarissima**) pertinent: „immensum quantum hominum qui nunc sunt mores laberentur, nisi iuventus nostra antiquorum hominum temporumque magnitudine erecta velut per tacitum quoddam templum memoriae eorum sacrum ad hunc, quo nostra huc illuc fertur ac distrahitur vita, mercatum transiret?" Est sane magna vis omnium litterarum, nec sine causa saepe est dictum, qui plures callerent linguas, eos multiplici quasi mentis uti acie***), quod, si recta ratio adsit, et ad sacram scripturam penitus intelligendam, et ad

*) Cf. 1. ad Tim. 4, 8, quem locum p. 5. laudavimus, et Lindneri, v. cl.: „De finibus et praesidiis artis paedagogicae secundum principia doctrinae Christianae" dissert. Lips. a. 1826. edita p. 23 — „animadvertimus etiam, quum quo purius traderetur diversis temporibus doctrina christ. inter diversos populos, eo laetius etiam inter eos literarum studium effloruisse, tum vero singulos etiam viros doctos, quo profundius — disciplinas humaniores penetrassent, eo submissius etiam verbi divini auctoritatem suspexisse".

**) In libro notissimo, qui Levana inscr. est. p. 778.

***) Cf. in Poet. Graec. Gnom. ed. Lips. p. 184.: Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

ipsam vitam multis in rebus prudentius instituendam consideratiusque agendam multum valere, iam Pauli apostoli exemplo probatur. Plurimum vero antiquarum litterarum studium in hoc genere efficere, admirabilemque prorsus in iis animi ingeniique colendi vim esse, omnes omnium temporum idonei huius rei indices professi sunt *); ac minus etiam docti ea, quae olim Graecarum Latinarumque litterarum sua fecissent, e memoria quidem esse elapsa, sed in mentem sibi animumque transiisse dixerunt **). Haud immerito igitur humanitatis illae litterae appellatae sunt, praesertim quum nihil fere in iis desideretur, quod, ut veri bonique, ita pulchri ac decori iudicium acuere morumque omnium exemplis animum instruere ac conformare possit. Quare Novalis nostri sententiam ***): „verum omnem librum (i. e. vero magnoque ex animo profectum) sacrae scripturae similem esse," Tegneriique illam †): „falso profanam quarundam rerum cognitionem nominari, quum omnium rerum per se sacra sit cognitio, aeternae lucis filia," optimo iure ad Graecas Romanasque litteras retuleris. Quodsi quaerimus, cur nobis potissimum Christianis hominibus tanta esse praestantia videantur, ut etiam ob ea, quae summa esse ducimus, in iuvenili institutione omnibus recentiorum populorum scriptis praeferendas censeamus, huius quidem rei has fere causas esse dicemus:

Nostris in litteris ea, quae saepe propter nomen Christianum atque orationis quandam speciem verae fidei doctrinaeque Christianorum videntur respondere, cum iis, quae aperte ei repugnant, ita nonnunquam coniuncta ac permixta sunt, ut vix a prudentibus, qui maturo sunt iudicio litterisque perpoliti, nedum ab adolescentulis satis discerni separarique possint; ac si possunt, non solent tamen diligentius examinari, quum plerique legentium ita sint ipsi in varias distracti partes, ut certi nihil habeant quod sequantur. Quo accedit quod veteres illi maiore orationis vigore, perspicuitate, constantia utuntur, unde quid sibi velint facile perspici possit, hi nostri contra haud raro vel ideo quod sciunt, satis multos aequo id accipere animo, in iis ipsis, quae omnibus summa esse deberent, magnam prae se ferunt veri sui iudicii aut obscuritatem aut inconstantiam. Quis non

*) Nuperrime Seebeckius v. cl. in libello ingeniosissime scripto. „Ueber Sinn und Zweck unsres Gymnasial-Unterrichts."

**) V. Chatami, Britanni nobilis dictum in Dielitzii dissert. supra laud.

***) Cf. Prophet. Stimmen aus Rom. Vol. I. p. 83. adnot. 3.

†) Praefixa est Nuesslini interpret. orationis a Basilio Magno de recto vett. scriptorum usu compositae.

intelligit, multo ita melius ac certius ex illis, quid etiam nostris temporibus contra Christianam fidem rectamque summi Dei rationem pugnet, cognosci posse, quam e plerisque recentiorum, quorum, si non levissimi quique, tamen ii haud raro, qui a fide nostra longius recedunt, ac nihilominus a multis etiam sacris praeferuntur libris, ipsis adolescentibus in deliciis esse solent! Ita vero, quod maximum est, facilius perspicitur, ea, quae et in his nostris et in veteribus illis propius nonnunquam a doctrina Christiana abesse, immo consentire cum ea videntur, imitari tantum, non ipsam continere Christianam veritatem, et veteres multo nonnunquam verius et apertius, multo etiam gravius ac pulchrius hanc exprimere similitudinem. Illius generis est Horatii sententia (Carm. 3, 29, 54) „mea Virtute me involvo" et (Epist. I, 18, 110 seq.)

— satis est orare Iovem quae donat et aufert;

Det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo, comparata cum Schilleri nostri notissimis verbis:

Sein Herz erglüht für eine Tugend,
Die stolz und sicher und sich selbst genug
Von keinem Glauben betteln will! *).

Huius autem generis ingens est virtutum numerus, quae specie quadam proxime ad Christianam rationem accedunt ipsisque etiam sententiarum verbis cum ea congruere videntur, re ac veritate procul plerumque ab ea absunt **). In quo illud gravissimum est, quod longe simplicius ac liberius quam multi recentiorum solent, qui fidem respuunt, veterum nobilissimi agnoverunt hanc virtutis speciem, et „nullam veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem se tenere, sed umbra et imaginibus uti" ***) confessi sunt, ac saepe ardentissimum verae omnibusque numeris absolutae virtutis ac sapientiae desiderium, cuius desiderii quidem haud paucos recentiorum illorum pudet atque taedet, apertissime prae se ferunt. Idque inprimis apud eos inveniri scriptores, qui legi in gymnasiis solent, maxime apud Romanos, qui e

*) Cf. Horat. Epist. I, 16, 39. „mendax infamia terret Quem nisi mendosum et mendicum?" (al. medicandum, der des Arztes bedarf). V. Knappii scripta varii argum. p. 482. sqq. „Qui suis nituntur operibus — fide niti recusant, fidei conditionem repudiant, qua tamen sola nitendum est Deo probari cupientibus."

**) Magnam exemplorum copiam congessimus in libro qui inscriptus est Prophet. Stimmen aus Rom cet.

***) Cic. de off. 3, 17.

saeculo lucem per Iesum Christum orbi illatam proxime praecedente eamque excipiente aetatem nostram tulerunt, satis inter omnes constat. Nolo igitur pluribus hoc persequi, praesertim quum aliis locis accuratius uberiusque de hac re egerim. Tantum moneo, minime a me contemni Graecos, immo magis etiam multis in litterarum generibus eorum me delectari scriptis et magnam eorum quoque ad haec Christiana penitus cognoscenda vim esse agnoscere *), sed voluisse me hoc loco de solis agere Romanis **). Hique vel ideo mihi ad hanc rem aptissimi sunt visi, quia fato ipso ita struente et ingenio et rebus gestis ad Christianorum ac Germanorum res moresque propius pertinentes, quum nec Graecam doctrinam nec Christianam fidem sola mente ac cogitatione amplexi sint, sed ipsa vita moribusque exprimere studuerint ***), exemplo nobis esse possunt, quod doceat, quomodo nos quum antiquitatis studia, tum Christianam religionem cum ipsa, quam patriae nostrae mores et instituta postulant, vivendi ratione coniungere debeamus †).

Superest vero, ut quonam modo haec ad Christianam iuventutis institutionem referri possint ac debeant, et quem inde ad augendam confirmandamque fidem ac doctrinam Christianam adolescentes fructum capiant, paucis exponam, quanquam ex iis quae supra commemoravi, iam satis in universum apparere videtur, et magis etiam exempla, quae postea afferentur, declarabunt. Primum omnium maximam, ut cunctis, qui nondum veram firmamque in Iesu Christo liberatore

*) V. Prophet. Stimmen aus Rom. Vol. I. cap. 2. Quum novi foederis libros Graece scriptos secundae classis discipulis explanarem, magnam nonnullorum vocabulorum vim exposui, quam nulla interpretatio ipsis verbis satis assequi posset et quae ad fidem quoque moresque magnopere pertineret, velut μαθητὴν Ἰησ. Χρ. plus valere dixi quam discipulum, Schüler, Jünger, quum eum significet, qui et verba Christi percipiat atque intelligat, et exemplum eius sequatur, ut fere sit, der Christum versteht; ὑπομονὴν (in ep. ad Rom. 5, 3. 4.) patientiae prope respondere, nec unquam horum vocabulorum potestatem e nostro Geduld satis intelligi; ἐρευνᾷν ad vestigia, ἴχνια, Spuren, Fährten plerumque referri, ut in sacra scriptura legenda Dei quasi vias ac vestigia scrutari debeamus, ipsam manum digitumque eius agnoscentes. Cf. de falsa magorum arte Sibyllae ap. Lactant. II, 16. testimonium: ἐπεὶ πλάνη πάντα τάδ' ἐςὶν, Ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι κατ' ἦμαρ. V. etiam libr. nostr. Eins ist Noth cet. p. 205. de ῥύεσθαι voce.

**) Theocritea nonnulla libello meo intexui, quia his proximis mensibus cum parte aliqua discipulorum aliquot huius poetae Idyllia legi, ut ad aliquam eius notitiam pervenirent.

***) Cf. Taciti illud (Ann. 15, 45.) „hic Graeca doctrina ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat."

†) Haec potissima causa est, cur per multa saecula praeter religionis disciplinam solae fere Latinae litterae in iuvenili Germanorum institutione valuerint.

ponunt fiduciam, ita iuventuti potissimum cum veteribus Graecis ac Romanis esse similitudinem, nemo fere est qui ignoret. Minus ea plerumque, quam qui provectiores sunt aetate, a natura recessit, cuius haud raro egregiis instructa est dotibus, quodque item de prisco illo mortalium genere praedicatur, propius ad eam Deus solet accedere. Propria ei est maior quaedam ea, quae ad vera animi bona vitamque aeternam pertinent, divinandi vis ab ipsa pietate profecta, maius etiam veritatis perfectaeque virtutis desiderium. Et quemadmodum veteres repetita illa a primordiis generis humani ac tradita sibi a maioribus (eine heilige Urtradition) de uno veroque Deo, de peccati malorumque origine, de poena impiis proposita, de immortalitate animorum aliisque de rebus, quas vera docet religio, quamvis variis corrupta erroribus ac commentis utcunque credita passim retinebant, ita nostri quoque adolescentes, velut λόγῳ quodam usi σπερματικῷ variisque instructi a parentibus rerum divinarum praeceptis, vel ideo quod certa etiam carentes fide ac persuasione sacramento tamen lustrali destinati sunt quodammodo societatis Christianae foederi, habent aliquid, quod propius ad eos accessurus liberator Christus tanquam suum agnoscat (Ev. Ioann. 1, 11. εἰς τὰ ἴδια ἦλθεν). Sed antequam accedit, seseque aperit animis eorum, velata iis est, ut Iudaeis pariter ac gentibus, quae naturae legem sequebantur, Dei iustititia, cuius sola fide duce participes reddimur; natura magis casuque nonnunquam fortuito, quam aut ratione aliqua aut observatione (Cic. Brut. 8, 33.) legibus postulatisque eius satisfacere videntur; optimeque tum cum iis agitur, quum, quod praestantissimos veterum agnovisse videmus, ea simulacra esse virtutis agnoscunt, quum facilius posse se dicere quid non sit, quam quid sit, quum humanam sapientiam, ut plurimum efficiat, non exscindere vitia, sed abscondere fatentur *). Tum vero iidem agnoscent confitebunturque, quod Romani iis prae-

*) Cf. Cic. Off. I, 15; Lactant. III, 26. sq. I, 17. Huc pertinent quae in libro meo: Prophet. Stimmen aus Rom. Vol. II. p. 214. notata leguntur: „Auch der Apostel Paulus erkannte in den bürgerlichen und häuslichen Tugenden der Heiden Durchstrahlungen des unterdrückten Gottesbewusstseins. Neand. Gesch. der Pflanz. und Leitung der chr. Kirche durch die Apostel. II. p. 366. Aber erst der Glaube lässt ein Bewusstsein davon erwachen: quid intersit inter praesumptionem et confessionem, inter videntes, quo eundum sit et videntes qua, et viam ducentem ad beatificam patriam non tantum cernendam, sed et habitandam. August. confess. VII, 20. „„So erscheint auf den Höhepunkten der hellenischen Bildung eine grosse Prolepsis der christlichen Lebenslehre (quae et philosophiae nostrae et nonnunquam etiam iuventuti propria esse solet); allein es ist eine Prolepsis der Wissenschaft, ein Gesetz ohne Propheten, und in der Reihe der Entwicklung, in welcher sie vorkommt, fehlt die Verwirklichung, durch die sie sich erst selbst klar und wahr werden konnte."" Nitsch, über die Religion der Alten. S. 48. Dies klar und wahr werden hängt also allein von der Deutung im Geiste des christl. Glaubens ab." Huius igitur interpretationis etiam in legendis veterum scriptoribus iuventutem participem esse reddendam censemus.

cipue temporibus confessi sunt, quibus pristinae libertatis, quam appellabant, etiam ultimam umbram amiserant, humana iam ope nihil ad meliorem rerum statum adducendum profici, eique se totos tradent, qui, illo ipso tempore natus, et Mosaicae et naturalis illius legis, quam nos quoque agnoscimus semper et negligimus, unicus, ut Tertulliani utar vocabulo, consummator veraeque, qua una generi humano opus est, libertatis vindex rerum humanarum omnium perpetuus exstitit patronus. Quodsi concedi fortasse debet, raro aliquem hac via ad certam, quaeque nulla dubitatione debilitari possit, fidem pervenire (quod tamen ipsum magnum est, quum nulla re maius nec coelestibus nec iis, qui in his terris versantur, piis hominibus gaudium parari possit): nihilne ad nostram iuventutem ac nostra tempora, illorum, quibus antiquissimi illi Christiani varie ab adversariis suis vel Graecis vel Romanis impugnabantur, simillima, pertinet, quod veteris illius ecclesiae patres de Graecarum Romanarumque litterarum ad excitandum provocandumque fidei Christianae studium quoddam ac desiderium vi prope incredibili ac divina ipsi experti confessi sunt *)? Num parum est, quod multarum ita rerum cognitione imbuuntur, quae, velut rivuli quidam trepidante per saxa silicesque unda in amnem confluentes quamvis longo variis anfractibus spatio emenso tandem Oceano miscentur, ad veram fidem animis eorum quasi insinuandam conferre possint? Hac enim via gravissimarum quarundam religionis, pietatis, humanitatis, virtutis, vanitatis, ambitionis, peccati, aliarum notionum scientiam eamque, quae est Romanae linguae natura, accuratissimam sibi comparant; hac, quid intersit inter humanam illam divinamque sacrorum librorum doctrinam, comparatione ubique sponte oblata, perdiscunt; hac, quae vera sit Christianae rei publicae ratio, quae bonorum civium communio, qualis cum malis civibus pugna subeunda ipsis exemplis propositis intelligunt. Utque in veterum scriptorum interpretatione, non solum Romanos Graecosque reliquos, sed sacros etiam et hos recentiores nostros in comparationem vocando, quid et omnibus in rebus et omni tempore verum sit, quid falsum, ex una illa divinae veritatis regula diiudicare discunt, ita ipsi Latina utentes lingua magnam ex hac ex-

*) V. quae de Augustino in libro Eins ist Noth cet. p. 201 attuli. Nec alia multorum hoc tempore adolescentium conditio est quam quae huius tum fuit viri, qui quamvis sacramento lustrali receptus in Christianorum coetum matre saltem uteretur vera fide beatissima, tamen diu per omnes falsae sapientiae errores vagatus est. Lactantii de Cicerone, Basilii de Graecis scriptoribus iudicia v. infra. Nostri quoque gymnasii alumnus quidam nonnullis abhinc annis ipse mihi confessus est, se primum recitata explicataque a me in schola aliqua, ubi antiquam olim historiam Latine exponebam, Platonis de morte Socratis narratione ardentiore Christianae veritatis studio incensum esse.

ercitatione quum omnino ad animum colendum, tum ad Christianae vitae primordia quasi suscipienda orationeque persequenda utilitatem percipiunt. Nam si quid est in iuvenili etiam animo falsi illius perversissimique pudoris, quo plurimi facilius alia omnia quam Christianam profitentur religionem, huius fere linguae usu diffundi exterminarique solet *), quae ita simul natura sua comparata est, ut nullas facile ambages, nihil ferme ambigui, nihil occulti, nihil nec simulationis nec dissimulationis admittat, ut, si quis velit possitque rem aliquam fidei nostrae congruenter litteris persequi, Romana lingua egregia quadam in hoc negotio adiutrice utatur. Neque illud fructu carebit, quod, si perspexerit, neminem Latine posse scribere, nisi Latine ipse cogitare didicerit, multaque simul ab antiquis illis Romanis et egregie cogitata et concinna oratione expressa statim in memoriam revocaverit, simillimam iis rationem sequendam esse intelliget, qui Christiano nomine digna proloqui litterisve mandare velint. Ex his omnibus satis iam apparebit, ita vel eos, qui propensiore sunt ad has vulgares profanasque artes animo, in medias quasi rapi res sacras, non eas, quae ad solam religionis cognitionem, sed eas multo magis, quae ad ipsam vitam usumque communem pertinent, in quibus tota Romanorum vertebatur ratio, nec magno adhibito verborum apparatu, sed obvia ubique iucundissimaque varietate commendata sermonis familiarissimi opportunitate. Neque negari potest, hac via vulgatissimo occurri errori, quo etiam adolescentulorum aliquammulti rationem humanam vitaeque usum ac consuetudinem cum religione Christiana, qualem libri sacri proponant, pugnare arbitrantur. Ad ipsam etiam sacrae scripturae lectionem, ut a plerisque omnibus, qui elegantioribus, ut aiunt, litteris se tradiderunt, ita a iuventute quoque altioribus dedita studiis, dum vix e pueris egressi Schilleri, Goethii, Wielandi etiam omnia nonnunquam opera cognita habent, foedisime neglectam, **) multis ponte excitabuntur, desinentque opinari, ea, quae cum Graecis Romanisque scriptoribus et ad hos ipsos penitus intelligendos et ad divinum verbum illustrandum probe conciliari posse vident, a communi vitae usu, magis nonnunquam profano quam illa sunt veterum monumenta, prorsus segreganda ac procul amovenda esse. Latinae vero linguae Romanorumque scriptorum studio ac scientiae tantum abest ut illa ratione quidquam derogetur, ut hac quoque re per-

*) Nimirum illud „Latine non erubescimus“ ad falsum pariter atque honestum pudorem referri potest.

**) „Auch in den Gymnasien scheint mir das Bibellesen etwas ganz Unerlässliches zu sein, zumal wenn man erwägt, wie unglaublich die Unbekanntschaft ist, die sogar bisweilen Candidaten der Theologie damit verrathen.“ Spilleke l. l. p. 43.

spicuum fiat, divini liberatoris nostri vim ac virtutem non in evertendis, sed in sanciendis exsequendisque humanarum quoque rerum omnium legibus versari, veramque philologiam nihil esse nisi rectae rationis (θείου, ὀρθοῦ λόγου) divinique verbi (θείου, ἀληθινοῦ λόγου) ad vetera illa humanae sapientiae documenta interpretanda adhibitum accommodatumque studium, nobis quidem Christianis hominibus appareat. Idque, quum iisdem prope vitiis et erroribus, quibus Graeci Romanique laborabant, recentiorum quoque multi obnoxii sint, ad horum etiam libros vel praestantissimos recte iudicandos plurimum valere, sponte intelligitur. *)

His iam expositis, qua in Romanis scriptoribus interpretandis ceterisque omnibus linguae Latinae exercitationibus nostris via ac ratione, ut consilia illa assequerer, usus sim, expediam. Ac primum quidem, quomodo varia harum disciplinarum genera tractaverim, paucis modo perspicuitatis causa allatis exemplis, significabo, deinde maiore exemplorum numero ex omni genere collecto unoque sub adspectu posito singula quaedam Christianae doctrinae capita certo servato ordine persequar.

In tota iuventutis ad fidem moresque Christianos perducendae conformandaeque ratione plurimum valere exemplum praeceptoris, omnes facile consentiunt. Sed quum nemo sine divino beneficio, nemo prorsus sua opera suoque aliquo merito ad eam ingenii animique facultatem pervenire queat, qua non composito ad pietatis quasdam significationes vultu, non fallaci verborum specie, sed vero affectu, sed alacri validaque ad persuadendum oratione ipsius quasi Veritatis Christianae faciem repraesentare possit, nihil est, quod de hac quidem re pluribus agam, praesertim quum ne possit quidem verbis demonstrari. Quid intersit inter falsae veraeque pietatis conscientiam Pharisaei illius et Pauli apostoli verbis optime demonstratur Ev. Luc. 18, 11. εὐχαριςῶ σοι, ὅτι οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ cet. et Act. 26, 29. εὐξαίμην ἄν — πάντας τοὺς ἀκούοντάς μου σήμερον γενέϑαι τοιούτους ὁποῖος κἀγώ εἰμι cet. Id omnes haud dubie, qui illius sunt participes facti beneficii, facile concedent, nunquam sibi in iis rebus, quibus potuerint veritatis virtutisque divinae testimonium edere, orationem defuisse, non ante fere praeparatam ac meditatam, sed e subito quodam animi motu ortam, nec ab ipsa solum rerum natura singularique sententiarum nexu suppeditatam, sed

---

*) Exemplum proposui comparatione inter Tacitum ac Schillerum instituta in libro meo nuper edito: Prophet. Stimmen aus Rom. Vol. II. p. 246. sqq.

forte nonnunquam oblata occasione, quaestione aliqua in ipso familiaris sermonis cursu proposita, vultu etiam nutuque audientium provocatam. Neque etiam magno ad tale orationis genus temporis sumptu opus esse scient, quum non solum erecti ad altiora divinaque studia animi, sed illa tardiora etiam variisve humanae levitatis modo dubitationibus modo vanitatibus sollicitata ac iactata ingenia uno interdum verbo, brevi ac velut in transitu obvia comparatione, simplici vocis alicuius notatione ad maximas gravissimasque cogitationes impelli excitarique possint. Quanquam quis singularum horarum, quae litteris impenduntur, vel decumam partem, quasi tributum Deo debitum, his gravioribus insumptam studiis aegre tulerit? Ego vero non omnibus quidem (id quod documento esse possit me divina, non humana ac mea studia sectatum esse, cf. Ioann. 15, 19.), sed plurimis tamen, qui superioribus gymnasii nostri classibus adnumerantur, gratas ac iucundas nec unquam nimis longas huiuscemodi egressiones visas esse scio. Puerorum sane animis talia minus apta esse per se intelligitur, quamvis sint, quae ne ab eorum quidem captu aliena esse videantur. Quis enim, ut unum instar omnium e Nepote Cornelio afferam exemplum, quum Aristidem a quodam, quem scribentem ut patria pelleretur animadverterat, quaesivisse legerit, quare id faceret, illumque respondisse, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Iustus appellaretur, quis, inquam, his maxime nostris temporibus, paucis interpretationi huius loci additis verbis, clarissimo hoc documento pueris iam probare nolit, simillimam omnibus temporibus eorum fuisse conditionem, quos ob solum nomen Christianum multitudo invidia odioque persecuta sit? *). Nec desunt huius generis alia, ut e sequentibus sponte apparebit, quae etiam puerulorum ingeniis accommodata esse dicas. Sed ut omnibus in rebus omnique in coetu hominum, ita in maximis quibusque et quum inter eos agimus, qui propter aetatem suam ne gravioribus quidem, nedum gravissimis satis pares sunt, malimus multum docere quam multa, praesertim quum in talibus non minor prope iuventutis quam ipsius Dei nimiam etiam in precibus verborum copiam spernentis **) reverentia esse debeat. Quare si cui forte in iis quae iam propositurus sum, nimium aliquid videatur, eum reputare velim, me hic coniunxisse, quae quaternis denis in hebdomade scholis cum trium classium discipulis Romanarum litterarum studio intentis

---

*) Cf. Eins ist Noth cet. p. 224.

**) Cf. Eccles. 5, 1. „Sei nicht schnell mit deinem Munde, und lass dein Herz nicht eilen, etwas zu reden vor Gott; denn Gott ist im Himmel und du auf Erden; darum lass deiner Worte wenig sein.“ Sed caveamus, ne cui nostrum offensioni sit haec sententia.

per sedecim fere menses habitis, brevissima plerumque illarum rerum significatione contentus semperque modico usus egressionis spatio continuaverim.

Iam praemissis quae de docentis discentiumque personis ac de tempore docendi monenda erant, de ipsis acturus rebus ac primum quidem totam disciplinarum exercitationumque, quae huic nostro negotio copiam suppeditaverint, varietatem expositurus, id statim gravissimum habeo quod grato profitear animo, mihi decem et septem per annos, quibus in hoc gymnasio docendi munere functus sum, simul cum Latinis etiam sacrarum litterarum in superiore secundae classis ordine interpretationem demandatam fuisse. Nam licet vel sine hoc secundae fortunae beneficio omnes disciplinae ad Christianae fidei doctrinaeque praecepta referri et possint et debeant, negari tamen nequit, illo velut fundamento omnibus in rebus, quas traditurus sit discipulis, nixum praeceptorem, praesertim si, quod idem mihi contigit, proxime sequentes classes excipiant quae in praecedentibus tradita sunt, multo certiore in hac re quum via ac ratione, tum etiam eventu uti posse. Quo accedit quod, qui Romanas litteras tradit, nec solis grammaticorum inhaeret praeceptis, sed quotidie ingens illud vitae morumque Romanorum pondus librare se quasi ac versare posse in ipso discentium conspectu laetatur, quum ex illis scholis ad has Latinas transiit, intra eiusdem templi muros mansisse, vel in atrium saltem ac quoddam eius vestibulum ex ipso sacrario sibi videri potest recessisse. Nam ubi arctiore quam apud Romanos vinculo et privatas et publicas res omnes cum ipsa religione coniunctas, ubi maiore studio ac constantia sacra et profana omnia ad vitam, ad civitatem, ad patriam relata conspicimus? Ubi vero etiam haec ipsa, quibus nos longe ab illis superari etiam nunc dolemus, postremo, et virtute et pietate omni abolita, quum Christiana carerent veritate ac libertate, nihil tamen valuisse ad communem civitatis Romanae totiusque orbis terrarum salutem conservandam, clariore in luce positum videmus? Unde igitur maiorem et eorum, quae nobis Christianis appetenda, et eorum, quae fugienda sint, exemplorum sumpseris copiam? ut vel hanc solam ob causam denuo asseverare me posse credam, quod ipso rei usu compertum habeo, antiquam historiam *), et Latina quidem, si fieri possit, lingua enarratam ac pertractatam **), etiam in superioribus gymnasiorum classibus

---

*) Cf. Sebeckii libr. supra laud. „Ueber Sinn und Zweck unsres Gymnasial-Unterrichts."

**) V. Hist. antiquae epitome a. 1836 a nobis provectiorum in usum discipulorum edita et Historiae Romanae brevis epitome inferioribus gymnasiorum classibus destinata, quae nuper prudentissima Wiesii Professoris cura Berolini A. Danckeri impensis in lucem prodiit.

ad mores iuventutis conformandos Christianaeque veritatis scientiam augendam multis in rebus plus valere quam hanc recentiorum temporum memoriam, praesertim fusa nimis ac singulas quasque res persequente oratione traditam.

Quae quum ita sint, ad hoc meum quoque consilium gravissimam esse putavi nunquam a me neglectam, sed nuper Ruthardti, viri doctissimi, cura ac studio maiorem in modum publice commendatam linguae Latinae exercitationem, qua, ut tironibus breviores, ita provectioribus longiores e Ciceronis potissimum scriptis depromti loci ediscendi traduntur, et ita quidem, ut verbis sententiisque omnibus per omnes partes et omni, qua interpretandi ars uti potest, via ac ratione adhibita, diligentissime examinatis patriamque nostram in linguam translatis, iterum iterumque repetantur ac per integrum cursus scholastici spatium memoria retineantur. Quis tandem vitio mihi vertet, quod eos elegi locos, qui quum per se pulcherrimi essent omnibusque paene numeris absoluti, tum ad hanc Cristianae fidei doctrinaeque rationem illustrandam aptissimi viderentur? Nonne iam Lactantius *) de eo ipso, quem hic statim e tertio Ciceronis de re publ. libro cap. 22. refero, quemque eodem plane ambitu, quo postea vidi a Lactantio esse excerptum, discipulis meis memoriae mandandum proposui, „paene divina voce Ciceronem," ait, „depinxisse Dei legem illam sanctam, illam coelestem, quae nos ad summum sapientiae virtutisque portum sine ullo errore perducat?" Sunt autem haec M. Tullii verba, quum longior sit locus, quam quem ipsum e libro notissimo transcribam, in nostram a me linguam ad haec Christiana primo statim adspectu illustranda aptiorem translata: Gewiss ist das wahre Gesetz auch die absolute Vernunft **). Eins mit der Natur, erstreckt es sich auf Alle, bleibt sich stets gleich und besteht ewig. Es liegt in seinem Gebote eine innere Aufforderung zur Pflicht, in seinem Verbote etwas vom Unrecht ***) Abschreckendes, wenn es gleich durch sein Gebot oder Verbot nicht ebenso auf die Bösen Eindruck macht, wie es den Guten nicht erfolglos etwas gebietet oder verbietet †). Diesem Gesetze darf weder widersprochen, noch

---

*) De vero cultu Lib. VI. cap. 8.

**) Recta ratio, loco, quem ante iam ediscendum curaveram, de legg. 2, 4. ratio recta summi Iovis dicta, ὀρθὸς λόγος. V. infra de his plura.

***) A fraude. Demonstravi hoc loco, singulis huius vocis significationibus enumeratis, linguam Latinam, ut in omni vitiorum notatione, ita huius potissimum vocabuli vi ac potestate ad sacrae scripturae veritatem proxime accedere.

†) Cf. Prov. Salom. 28, 5. „Böse Leute merken nicht auf's Recht, die aber nach dem Herrn fragen, merken auf Alles." Ceterum comparantibus ista cum Latinis apparebit, me nec in

in irgend einer Weise Abbruch gethan werden, noch lässt es sich überhaupt aufheben. So können wir denn auch natürlich weder vermittelst des Senates, noch vermittelst des Volkes von diesem Gesetze entbunden werden *). Auch hat man sich nicht erst nach Jemand umzusehen, der dasselbe auslegen oder deuten müsste **). Eben so wenig wird es ein anderes in Rom, ein anderes in Athen, ein anderes jetzt, ein anderes späterhin sein; sondern alle Völker wird zu allen Zeiten ein und dasselbe ewige, unveränderliche Gesetz binden ***), und einzig und allein Gott wird der gemeinschaftliche Herr und Meister †) Aller sein. Er ist es, der dies Gesetz erfunden, bestimmt und gegeben hat. Wer ihm daher nicht gehorcht, der zerfällt mit sich selbst ††), und wird, indem er sich gegen die menschliche Natur sträubt, schon damit auf das härteste bestraft †††), wenn er auch allen übrigen Strafen, die man für solche zu halten pflegt, entgangen sein sollte.“ Quibus prolatis Lactantius, cuius nuper cum discipulis communicavi testimonium, ita pergit: „Quis sacramentum Dei sciens tam significanter enarrare legem Dei possit, quam illam homo longe a veritatis notitia remotus expressit? Ego vero eos, qui vera imprudenter loquuntur, sic habendos puto, tanquam

---

transferendo nec in explicando hoc loco ea quae ad grammaticam orationis structuram pertinent, neglexisse.

*) Wir sollen Gott mehr gehorchen als den Menschen, selbst mehr als der Obrigkeit, wenn sie etwas wider das göttliche Gesetz offenbar Streitendes gebietet.

**) His verbis divinavit quasi veram eorum rationem, quibus, ut sacra scr. ait, a Deo doctis in ipso ore habitet verbum divinum. Ipse procul ab ea abfuit, solumque simulacrum se habere veritatis fatetur. V. infra.

***) Egregie cum his consentit, quod ex Irenaei libro I. c. 3, notatis quae a vera Latinitate abhorrent, discipulis meis recitavi: „Etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, virtus traditionis“ (recta quasi, quae et catholica et evangelica est, ratio, Ein Geist in Allen). „una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt, neque hae quae in Iberis sunt, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto — —: sed sicut sol creatura Dei in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio Veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem Veritatis venire.“ Cf. August. confess. III, 7. „lex Dei — ubique fuit ac semper, non alibi alia, nec alias aliter cet.“

†) Explicato discrimine, quod intercedit inter praeceptorem ac magistrum, et huius vocis et imperatoris notionem ad Christum retuli.

††) Ipse se fugiet, collato Cic. de fin. 5, 12. „fugere plane se ipse et exuens hominem ex homine naturam odisse videtur; quod paucis verbis cum notissimis saer. scr. imaginibus comparavi, et ita quidem, ut quid nobis Christianis sit exuendum, quid non exuendum demonstrarem.

†††) Luet maximas poenas. Ποινάς, Furias, Pein, in comparationem vocavi cum Ev. Luc. 16, 24. et Pers. Sat. 3, 35 sqq.

divinent spiritu aliquo instincti. Quodsi, ut legis sanctae vim rationemque pervidit, ita illud quoque scisset aut explicasset, in quibus praeceptis lex ipsa consisteret, non philosophi fuisset functus officio, sed prophetae. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum est, quibus ipsa lex tradita est ab illo uno magistro et imperatore omnium Deo.“ — Ita paucis quidem in mense horis exiguo admodum huiusmodi locorum numero *) tractato, sed crebris per plures deinceps classes repetitionibus quum iis quae ad ipsam linguam pertinebant, tum, quantum licuit, etiam Christianis illis memoriae ac mente impressis, habebam quasi fontem quendam perennem, ad quem in reliquis omnibus exercitationibus recurrere, unde ad haec sacra quoque studia recolenda atque alenda, quae opus essent, haurire possem.

Non minus angustis temporis finibus circumscriptam, sed similem rerum ad ipsam fidem doctrinamque Christianam pertinentium continua magis oratione persequendarum copiam suppeditantem eam iam commemoro rationem, qua de argumentis ad commentationes Latine componendas propositis cum discipulis meis sermones conferre et scriptas emendatasque ipsas percensere soleo. Nam licet multi sint, qui omnibus in sermonibus quidquid res sacras vel leviter attingere videatur, sedulo arcendum ac procul habendum esse censeant, in gymasiis certe, quae non inanem Christiani nominis speciem prae se ferre debent, omni de quaestione ita est agendum, ut, cunctis quae a rerum natura, ab humana ratione, a memoria temporum communique vitae usu repetenda sunt, satis consideratis ac pertractatis, postremo tota causa ad ipsius Veritatis, i. e. Christianae rationis iudicium vocetur. Qua in re quantopere a prava quorundam fictae illius ac compositae pietatis consuetudine abhorruerim, exemplis infra collectis probabitur, ipsaque satis docebunt argumenta e Romanis plerumque scriptoribus petita, ut Quintilianeum illud „ambitionem, licet ipsa vitium sit, frequenter tamen causam esse virtutum;“ quod, ut, significatis modo iis quae accuratius persecutus sum, huius quoque generis exemplum quoddam exhibeam, ita fere discipulis planum facere studui: Romanos variis temporibus varie hanc ambitionis vocem interpretatos esse docui, itemque in nostrum sermonem receptam (Ambition) ancipitem habere significationem. — Summam virtutem in ipsa Dei quadam sitam esse similitudine. Ad quam ut perveniamus nulla effici hominum gratia; nulla igitur opus esse ambitione, immo vitium eam esse apparere; quam in rem illud apostoli facere „nolite hominum servi fieri, magno enim pretio liberati estis.“ Quintilianum vero de puerili agere institutione; quare, quum pueri nondum ipsa

---

*) Reliquos infra exhibebo.

virtute cognita ad parentum praeceptorumque exempla dirigantur, ambitione eos ad bona multa posse impelli; nec raro etiam aetate provectioribus ambitionem magnarum virtutum (ausgezeichn. Eigenschaften) magnorumque facinorum causam esse posse, quod Alexandri, Caesaris, Napoleonis, aliorum etiam artibus litterisque insignium virorum, theologorum quoque non fidem ac virtutem, sed solam doctrinam Christianam sectantium exemplo probari. Sed veram educationem ab humana omni auctoritate magis indies liberare homines et ad virtutem per se colendam, i. e. ad ipsum Deum perducere, ut sponte, non inviti et imprudentes consilia eius exsequantur. Christianam igitur rationem prorsus abhorrere ab ambitione, nec unquam pios homines, Lutherum, apostolos, ipsum Christum ambitione fuisse ductos. — Quod vero ea maxime elegi, quae iuventuti nostrae nostris temporibus et ad virtutes, quibus haec aetas excellit, et ad vitia, quibus laborat, penitus cognoscenda recteque iudicanda saluberrima essent, nemo sanus vituperabit, praesertim quum reputaverit, multum plerosque adolescentes temporis operaeque in has scriptiones insumere, graviterque eos praeceptores et in iuventutis et in publica commoda peccare, qui, si non vanis futilibusque rebus, tamen ad vitam recte instituendam minus pertinentibus bonum eos otium perdere cogant. Quapropter, quantum ipsarum scribendi exercitationum ratio ac natura patiebatur, in minoribus quoque scriptis, rebus partim e Ciceronis aliorumve scriptorum, recentiorum quoque, libris desumptis *), partim a me ipso compositis, haec plerumque secutus sum consilia, quanquam leviora quoque ac iocosa gravibus seriisque nonnunquam immiscui, quum probe scirem, nihil magis oblectare iuventutem et boni etiam honestique studio implere, quam varietatem, nihil magis in educanda erudiendaque ea vitandum esse quam satietatem, ac vulgares etiam res, casu forte oblato, verbi alicuius significatione altius persequenda, magni alicuius viri mentione facta, gravissimarum quaestionum causam posse exsistere. Illius autem generis haec sunt e Ciceronis libro de legg. III. 13. deprompta, ad quae quantum in hac nostra vivendi ratione principum maxime eruditorumque virorum exemplum valeat, qualeque id esse debeat, paucis monui: „Ut cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia. Vir magnus L. Lucullus ferebatur quam commodissime respondisse, quum esset obiecta magnificentia villae Tusculanae: duo se habere vicinos, superiorem equitem Romanum, inferiorem libertinum: quorum quum essent magnificae villae, concedi sibi oportere,

*) Plurima e Ciceronis libris, nonnulla ex aliis Latinis scriptoribus, quaedam e Graecis Germanorumque etiam litteris in usum meum converti; Lactantii quoque ac Basilii quaedam attigi.

quod iis, qui inferioris ordinis essent, liceret. Non vides Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? Quibus id, si tu non faceres, non liceret. Quis enim non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, eisdem tenerentur? Nec enim tantum mali est, peccare principes, quanquam est magnum hoc per se ipsum, quantum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescunque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse". — Quid vero praecipue impediat, quominus Christiana nos veritate liberari patiamur, his significatur sententiis, quas ipse olim discipulis e patria lingua in Latinam transferendas proposui, ut ita leges quasdam grammaticas e Zumptiani libri §. 451 — 456 *) repetitas proprii stili usu perdiscerent: „Qui pedibus aliave qua ex parte corporis laborant, non solum sentiunt dolorem quo afficiuntur, sed curant etiam, ut quam primum eo liberentur; atque alterius quoque vicem dolent, si eodem vident malo laborantem. Contra animi vitia haud raro incuria ac socordia adeo negliguntur, ut ea ne in aliis quidem, nedum in nobis ipsis animadvertamus, et si forte animadvertimus, tamen aliorum prius opera, quam propria meditatione ad veram plenamque turpitudinis, quae cum iis coniuncta est, cognitionem adduci solemus. Nec remedia plerumque a nobis adhibentur, quibus exstingui possint ex animis nostris, sed nimia virtutum nostrarum fiducia ducti nocere ea nobis non posse credimus. Hinc fit, ut prius mortem cum vita, quam veritatis cognitionem cum errore commutemus". **) — Satis multa etiam e Rutilii Lupi de figuris sententiarum et elocutionis libris, quorum magnam partem a me

*) Ita totum hunc librum cum secundae classis discipulis percolui.

**) Posse vero etiam inferiorum class. discipulis in ipsis grammaticis scholis huius generis sententias varie commendari, nemo sane negabit, qui non minore Christianam veritatem ac virtutem quam ipsos discipulos amplectitur amore. Verissime Axtius in libro suo „über den Zustand der heutigen Gymnasien" p. 22 sq. haec monet: „Wenn wir auch nur lat. Grammatik treiben, und behandeln den ersten besten Paragraphen im Zumpt, so wird immer aufser dem, dafs Latein gelernt und der Verstand geübt wird, dem Schüler auch etwas Sittliches, Historisches u. dgl. mit in die Seele eingehn. Schlagen wir §. 448 auf und lesen: cuiusvis hom. est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare, so ist uns hier zwar der Genitiv die Hauptsache, aber zugleich wird ein Weisheitskörnlein in das Herz gestreut, das zu seiner Zeit tausendfältige Früchte tragen kann, namentlich wenn der Lehrer auch dem Gedanken einige Augenblicke widmet. So verfährt wenigstens der Lehrer, der das letzte Ziel immer im Auge hat, er trage vor was er wolle. Selbst beim Extemporale kostet es uns drei Worte, mitten aus der Stilübung heraus ein Licht anzuzünden, das leicht über das ganze Leben hinleuchtet. — Der Lehrer mufs einem Variationenspieler gleichen, welcher immer sein Thema festhält, wenn er auch in noch so bunten Veränderungen und Abschweifungen seinen Hauptsatz umkreis't".

in nostrum sermonem translatam discipulos meos primum subito in Latinam vertere linguam deinde imitari singula similibus propositis sententiis iussi, in hunc usum meum converti, velut in Epiphora (p. 5. edit. Fr. Iacob.) ipse, quum adolescentulorum minus procederent imitationis conatus, haec ex tempore prolocutus sum: „Non enim alia res est, cuius opera nos quidem ad hanc facultatem pervenerimus. Sed initio statim ad optima quaeque adamanda ac discenda nos impulit antiquitas; deinde in ipsis vitae laboribus ac molestiis sustentavit nos ac consolata est antiquitas; postremo ad ea etiam, quae in Christiana religione summa sunt ac pulcherrima, advertit animum nostrum eadem antiquitas."

In ipsa porro veterum scriptorum lectione atque interpretatione uberrimam huius rei persequendae illustrandaeque praeberi materiam, vix est quod pluribus moneam. Ac primum quidem inchoaturis nobis Ciceronis, Sallustii, Taciti, Horatii lectionem,*) quae de horum scriptorum temporibus, vita, moribus, consiliis praemonenda erant, satis magnam orationis etiam ad haec nostra tempora illorum aetati multis in rebus simillima dirigendae occasionem dabant, nec poteramus quin Romanorum ingenia cum hac nostra Christiana ratione in comparationem vocaremus. Quo id quoque retulerim, quod, quum ad maiorem iam discipuli in legendis eorum scriptis facultatem pervenerant, ut ipsi quid de iis sentirent Latino usi stilo exponerent auctor iis exstiti, argumenta iis proponendo huiusmodi: orationem ad res efficiendas non minus valere quam ferrum, — Magnorum virorum epistolas quoque cognoscere operae esse pretium, — Potuisse Ciceronem inter omnes Romanos optime de officiis scribere ex ipsa vita eius probatur. In quibus multiplicem inesse nostri quoque persequendi consilii occasionem ac materiam infra significabimus. Deinde vero singula quaeque interpretando quantam et quam saepe huius rei nacti simus potestatem ac facultatem, ex ipsis postea apparebit exemplis. Hic genera indicasse satis erit. In quibus omnibus, quod primum monemus, non minus sacros scriptores quam alios, qui vulgo profani dicuntur, et ad ipsas res ac sententias interpretandas, et ad linguam orationemque explicandam in auxilium vocavimus. Quod, salva pietatis reverentiaeque, quae illis debetur scriptoribus, ratione,

*) Iis temporibus, ad quae haec commentatio pertinet, Ciceronis legimus Verrinarum Philippicarumque oratt. ac librorum de offic. magn. partem, Bruti plurima, epistolas nonnullas, Sallustii Iug. magn. partem, Taciti, e cuius scriptis, quia singulari in libro (Prophet. Stimmen cet.) accuratius de eo egi, pauca admodum in hac scriptura attuli exempla, Annal. l. I. priorem partem, Agric. vitam, Germaniam, Dialogum (hunc discipuli privato magis percoluerunt studio, quo absoluto ipse interpret. meam Germ. recitavi); Horatii carmina nonnulla et aliquot epistolas post Spillekii obitum attigimus.

quo tandem modo vituperari queat, equidem non dispicio. Quanta vero ad ipsam vitam inde redundare possit utilitas supra iam monuimus. Et ad orationem quidem quod attinet, vel sola verbi (λόγου) ac linguae magnas profecto etiam veterum illorum cogitationes patefacientis notione satis declaratur, non posse haec sacra a profanis illis disiungi, quum ad eandem utraque humanitatem referantur. Quid vero, ut hoc unum excerpam, magis utrisque commune est, quam similitudinum translatorumque verborum usus, in quo ipse Christus tam creber fuit, ut multas easque gravissimas ad bene beateque vivendum sententias ne nunc quidem aliter exprimere possimus, nisi forte, qui multorum mos est, circuitionibus ambagibusque usi totam sacrorum librorum vim frangere atque evertere velimus? Cuius rei luculentissimum olim documentum dedit discipulis Tullianum illud de or. 2, 21, de quo quid sibi videretur ipsi exposuerunt: „Volo esse in adolescente, unde aliquid amputem." Nam ut hoc ipsum, ita quae huius generis similia sunt „seramus arbores, quae alteri saeculo prosint; insitum aliquid innatumque est, insita sapientia; adolescit aliquid, radices agit, eradicatur, exstirpatur" aliaque multa, quae tunc vel ob ipsam orationem conformandam tironibus suppeditabam, varie nos sacrae admonuerunt scripturae. Talia vero in ipsa librorum, quos legimus quorumve locos aliquos laudavimus, interpretatione centiesse nobis obtulerunt, ut, quod supra (p. 20) commemoravi, exuere hominem ex homine; ponere, sumere personam; quaeque ad civitatem societatemque Christianorum referri poterant: Tacit. Hist. 4, 74, „octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit" (cf. Cic. de sen. c. 21); Cic. epist. 9, 2 „non deesse, si quis adhibere volet, non modo ut architectos, verum etiam ut fabros, ad aedificandam rem publicam, et potius libenter accurrere;" cf. Tusc. 1, 25 „qui in Timaeo mundum aedificavit deus" et quae infra afferentur consimilia. — Nec minus saepe, immo crebrius multo ipsae res, variae virtutum vitiorumque notiones, pietatis, religionis, rei publicae, philosophiae, artium litterarumque frequens commemoratio nos monuerunt, ut ad sacrum quoque nostrum librum, purissimum veritatis fontem recurreremus.*) Sed de his mox plura collocabuntur.

Reliquum est, ut, quo modo et in his, quae iam commemoravi, et in aliis multis, quorum ne genera quidem omnia enumerari possunt, versatus sim, brevi-

*) Equidem vix fieri posse credo, ut qui Horat. Epist. 1, 16, 17 sqq. 32 sqq. 39 sqq. 44 sqq. 67 sqq. 73 sqq. interpretetur, modo aliquid ipse Christianae doctrinae ac fidei attigerit, nihil prorsus e sacris libris (nec ad vers. 76 tollas licet Lutheri illud Lafs fahren dahin cet.) in comparationem vocet. Ad refutandos errores, qui ultimis continentur versibus, audentius etiam Act. 16, 24. 25—40 (37 οὐ γὰρ... simul atque volam) laudavi. Utimur libertate Dei beneficio accepta, ut vivamus.

ter exponam. Nam censura quoque eorum, quae conscripta a discipulis mihique emendanda erant tradita, synonymorum, quae dicuntur, explicatio, „phrasium", quales Schoro auctore exercitationis causa pertractavi, interpretatio, Antibarbari, quem dicunt, delibatae quaedam, quae gravissimae viderentur, partes, metricae etiam artis, quam Horatii causa paucis attigi, ad veram principemque legem revocandae proposita ratio, praeterea varii ipsius vitae casus, qui animos nostros commoverunt, multiplicem mihi etiam subito nonnunquam interrogato vel hortandi monendique causa sermones cum discipulis conferenti huius viae *) ubique persequendae opportunitatem dederunt. Nec pudet me ad ipsius domini ac magistri mei exemplum hanc, quantulacunque est, in erudienda educandaque iuventute sapientiam referre, qui et ipse huc illuc commeans docensque in scholis ac concionibus, ubicunque sui praeceptorumque suorum fidem se posse facere hominibus videbat, quavis usus sit vel minima occasione, qua salutem ferret animis discendi cupidis. Ut igitur ille similitudinibus ex ipsis, ubi agebat, locis, ex ipsa eorum, inter quos versabatur, conditione animorumque affectione desumptis iis etiam divinae suae sapientiae copiam aliquam faciebat, qui nondum totam capere posse viderentur, ita hac adhibita ratione iuventus quoque, quamvis sint qui propius iam ad ipsum Christum liberatorem adduci queant, in his etiam Latinis litteris (nam quidquid agimus ad eum debemus referre) ad aliquam eius notitiam venire seque in conspectu quasi eius versari sentire quodammodo ac divinare poterit. Quis igitur vitio mihi vertat, quod, ut e multis pauca afferam exempla, quum Ciceronis locum, qui est de off. libro III. cp. 12 §. 5, interpretarer, ubi Antipatri Tarsensis hominis acutissimi mentio est facta, Paulum apostolum et ipsum Tarso oriundum commemoravi atque hunc quoque acutissimum magnaque Graecarum litterarum scientia instructum, ut Graecis Romanisque, ita nobis antiquarum litterarum cognitione aliqua imbutis locupletissimum Christianae veritatis testem exstitisse professus sum? Quis, quod in epistola Ciceronis (libri IX., 20), in qua reliqua omnia, ut sunt ad iocum composita, ita a me sunt hilari sane animo explicata, lectis ad finem verbis: „Patriam eluxi iam et gravius et diutius quam ulla mater unicum filium", de sanctissimo illo in mediis rerum humanarum vanitatibus ac ludibriis dolore pauca sum locutus, sine quo ad verum aeternumque gaudium, quo omnes tendimus, pervenire nequeamus? Cui tandem mirum videbitur, quod allatis e Schori phrasibus (p. 309) Ciceronis verbis: „si me efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum animi quidam dolor,

*) Est vero omnibus in rebus illa a Christianis ratio observanda, quam ὁδὸν, דֶּרֶךְ sacri appellant scriptores; siquidem nunc etiam τρέχει τὸ εὐαγγέλιον.

quis non ignosceret?" similem ac tamen diversam Pauli apostoli gloriationem illam in epistola ad Corinthios data (2, 16, sqq.) commemoravi? quod in tradenda arte metrica,' commemoratis Graecorum vocibus εὐρύθμως βαδίζειν, ὀρχεῖσθαι, per omnem dixi rerum naturam ipsamque hominum vitam, si bene sit composita, numerum quendam singularumque partium consensum observari, comparatoque apostoli dicto (2 ad Cor. 11, 2): „ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ, etiam in Christianorum vita ipsisque in precibus piorum ex humilitate nostra ad divinam gratiam elatis rursusque ad humilitatis illius conscientiam revolutis ἄρσιν quandam ac θέσιν esse monui ad finem usque vitae invicem se excipientes? Eiusdem vero generis est, quod permixtis confusisque olim a quodam discipulorum prudentiae intelligentiaeque notionibus, quum prudentiae studio Evam peccavisse scripsisset, prava eam intelligentiae cupidine in errorem esse inductam dixi, qualem Cicero (de off. libr. 3, 17) gravissimis verbis vituperet, praesertim quum nostra quoque tempora nimium quantum eam sectentur; eiusdem, quod, barbaris aut in pravum detortis falsave significatione positis incredulitatis, indifferentismi, pietismi, emancipationis, rationalismi vocibus a quibusdam usurpatis, de vanitate, qua divinae veritati fides denegatur, de socordia multorum negligentiaque in rebus divinis, de falsa simulataque pietate vel pravo simulatae pietatis rigore, de perversa et singulorum hominum et universarum gentium libertatis cupiditate, de rerum divinarum sola rationis humanae vi et auctoritate nixo studio paulo egi diligentius. Eodemque multa referri possunt, quae de verbi divini auctoritate crebrius ingessi, quum Ciceronis epistolae IX., 6 initio explicando („Caninius noster me tuis verbis admonuit") verbi ac nominis vocem in sacris quoque libris pari usurpari significatione, ac Iesu Christi nomine idem esse monui, quod Iesu Christi verbis, causa, auctoritate (Auctorität der heil. Schrift); quum, quid interesset inter mihi crede et crede mihi exponendo, illa Dei optimi maximi „Ego sum dominus Deus tuus", illaque liberatoris nostri „amen, amen, dico tibi" commemoravi, ut priore illa verborum collocatione auctoritatem loquentis, altera simplicem asseverationem atque illud seid gläubig und nicht ungläubig exprimi demonstrarem; quum notissimi illius „in deliciis habere scriptorem aliquem" mentione iniecta, Goethiique ac Schilleri libris, qui multis essent in deliciis, exempli causa commemoratis, egregiam illam Augustini (confess. XI., 2) vocem recitavi: „Sint castae deliciae meae scripturae tuae; nec fallar in eis, nec fallam ex eis;" quibus continuo adiunxi illud „multum esse in aliqua re, in legendo aliquo scriptore" atque ad notissimam apostoli retuli adhortationem: „multi sitis in verbo divino, ut ipsum rursus multum

4*

esse possit in animis vestris", id est enim: lasset das Wort reichlich unter euch wohnen. Nec abhorret ab hoc genere, quod, quum caput Epicuri esse nostrum Hauptgrundsatz des Epicur dixissem, simili modo caput Christi posse principalem eius i. e. veram de Deo doctrinam esse professus sum, cuius unus nobis nostrae societatis caput Christus exstiterit auctor, sed simul eiusdem caput Deum a sacra scriptura appellari, unde appareret, eandem esse Christianis hominibus et doctrinae et personae eius, qui eam proposuerit, auctoritatem, iis vero, qui solam philosophi alicuius disciplinam sequerentur, nunquam.

Ita, quod magnum mihi esse videbatur his nostris temporibus, nullam fere praetermisi occasionem, qua honesta quidem ac decora multa in reliquis hominum scriptis inesse, sed gravisima ac saluberrima in sacris inveniri libris ostenderem, memor notissimi illius dicti *ϛαγόνες ὕδατος πέτρας κοιλαίνουσι* (et est homini circa pectus robur et aes triplex!), eiusque, quod Spillekius noster toties discipulis omnibus diligentissime observandum proposuit „repetitio est mater studiorum", praesertim quum eodem plane modo ipsum Deum gravissima quaeque per omnes sacrorum librorum partes iterum iterumque repetiisse cernerem.

Transiturus iam ad eam disputationis meae partem, qua gravioribus plerisque, quorum hoc novissimo tempore discipulis meis auctor fui, generum illorum exemplis in certum quendam ordinem digestis velle me dixi omnia uno quasi sub adspectu ponere, sentio, quam exiguum mihi huius rei exsequendae reliquum sit spatium, multaque me attingere tantum posse, nonnulla plane omittenda mihi esse intelligo. Sed id saltem, quod sane gravissimum est, vel ita perspectum iri credo, optime, ut in ipsa vita, ita in eius quasi palaestra quadam schola, et fidei Christianae et morum ei accommodandorum leges praeceptaque ex usu disci, nisi desit omnia, quaecunque usu veniant, ad divinam sacrae scripturae auctoritatem revocandi, itemque cuncta, quae in sacris illis libris praecipiuntur, ad vitae usum referendi studium. Quod si negligitur, cadit in nos cadetque omnibus temporibus quod apud Sallustium (Iug. 85, 32) Marius Graecis exprobrat, quum dicit: „neque litteras Graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt."

Qua omnino ratione Christiana iuventus antiquas litteras optime in usum suum possit convertere, Basilius Magnus in oratione illa exponit,

e qua, quum Nuesslini lecta interpretatione *) inesse in ea egregia multa cognovissem, primum iis, qui nuper in Academiam erant abituri, deinde ceteris quoque discipulis nonnulla in Latinum sermonem vertenda proposui, quorum h. l. partem exhibeo: „Quum sacras litteras propter aetatem vestram nondum penitus intelligere possitis, eorum exemplo, qui, quamvis ad ipsa militiae munera nondum sint idonei, armis tamen quotidie exercentur, in eiusmodi scriptis diligenter versari debetis, quae velut speculo quodam ac simulacro aeternae veritatis proposito animi ingeniique vires ad divina illorum librorum praecepta perspicienda praeparare aptasque reddere possunt. Nam ut illi, quum satis exercitati corroboratique proelia ineunt, victo hoste laborum suorum egregium fructum percipiunt, ita nos profecto persuasum habere decet, omnium nos pugnarum maximae ac periculosissimae obviam ire, in qua summa omnium virium opus sit contentione. Ad quam quum nos iuvenili aetate accingimus, cum poetis, rerum scriptoribus, oratoribus, cunctis denique cum hominibus societatem contrahere debemus, a quibus aliquod salutis nostrae auxilium ac subsidium sperare queamus, ut, quum aquae velut speculo solem intuentes fulgori eius adsueverimus, ad ipsam lucem oculos erigere possimus." Sed quamvis magno, ut supra diximus, et iuventus et antiquitas aeternae veritatis desiderio teneatur, agnoscatque utraque auctoritatem quandam eius gentis, quae, ut Tacitus ait, mente sola unum numen intelligebat summumque illud et aeternum neque imitabile neque interiturum, ut de iisdem Iudaeis agens Dio Cassius, *ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ* colebat **), multi tamen adolescentes ipso animo a vera certaque religionis nostrae fide non minus alieni sunt, quam nobilissimi illi praestantissimique Graecorum ac Romanorum scriptores, quia utrique humanam suam rationem ac sapientiam, non verum Deum colunt ac sequuntur, magnaque in his rebus utuntur inconstantia. Quare haud ineptum esse credo, eorum, quae e Lactantii libris ***) nuperrime in patriam linguam a me translata in Latinam discipulos iussi convertere, partem aliquam hic adnectere: „Homines ideo falluntur, quod aut religionem sequuntur omissa sapientia, aut sapientiae soli student omissa religione, quum alterum sine altero verum esse non possit. Quare

---

*) Rede des heil. Basilius, des Grossen, an christliche Jünglinge, über den rechten Gebrauch der heidnischen Schriftsteller, übers. und erläutert von Nüsslin. Mannh. 1839.

**) Cf. Tac. Hist. 5, 5; H. Grot. de verit. rel. Chr. p. 63. Constat vero Christianos Iudaeosque a Romanis non minus quam nunc a multis Christen et Pietisten confundi solitos.

***) Edit. Walch. p. 307. sqq. de falsa sap. cap. 11—16. Nonnulla in verbis, pauca in sententiis mutavi.

ne philosophi quidem beatam vitam, quam quaesiverunt, reperire potuerunt, quia summum bonum non in summo quaesiverunt, sed in imo. Summum autem quid est nisi coelum et Deus, unde animus oritur? Imum quid est, nisi terra, unde corpus originem trahit? Quamvis igitur philosophi quidam summum bonum non ad corpus, sed ad animum retulerint, tamen quoniam hunc huius vitae finibus circumscripserunt, quae cum corpore terminatur, ad corpus revoluti sunt. Summum vero bonum, quod vere beatos nos reddit, non potest esse, nisi in ea religione, cui spes immortalitatis adiuncta est. — Quid enim sibi vult Cicero, quum declamatorio usus dicendi genere „o vitae philosophia dux, inquit, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum — —?“ Quasi vero aliquid per se ipsa sentiret, ac non potius ille laudandus esset, qui eam tribuit! Potuit eodem modo gratias agere cibo et potui, quia sine his rebus vita constare non possit, in quibus tamen ut sensus ita beneficii nihil est. Atqui ut illa corporis alimenta sunt, sic animae sapientia. Rectius igitur Lucretius eum laudat, qui sapientiam primus invenerit, Pythagoram, qui se primus philosophum nominavit, aut Milesium Thalem, qui de rerum natura primus traditur disputasse. Sed dum hominem laudibus effert, rem ipsam deprimit: non est enim magna, si ab homine potuit inveniri. Verum potest, ut poetae, dari venia. At tu ipse, Marce Tulli, qui idem perfectus es orator et summus inter Romanos philosophus — mira inconstantia sapientiam, quam poetarum more velut inventum deorum laudas in faciem, nihil magnopere valere dicis ad mores hominum corrigendos. Saepe enim testaris, quum tanta fuerit multitudo philosophorum, sapientem tamen exstitisse adhuc neminem, tuique te libri arguunt, quam nihil a philosophia disci possit ad vitam. Haec tua verba sunt: „Mihi autem non modo ad sapientiam caeci videmur, sed ad ea ipsa, quae aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi *).“ Si ergo philosophia vitae magistra est, cur tibi ipse caecus et hebes et obtusus videbare? Cur ipse hanc de philosophia sententiam tulisti: „nescio quis nos teneat error ac miserabilis ignoratio veri?“ Idemque Cornelius quoque Nepos testatur, quum ad eundem Ciceronem scribat **): „Tantum abest, ut ego magistram putem esse vitae philosophiam beataeque vitae perfectricem, ut nullis magis

*) Similia sunt quae de off. 3, 17, 7. interpret. sum „— quam illa aurea: ut inter bonos bene agier oportet et sine fraudatione! Sed qui sint boni et quid sit bene agi, magna quaestio est!“ nam „umbra et imaginibus utimur!“ §. 6. En habes de tota antiquitatis se praestantia et debilitate candidissimum Ciceronis iudicium. Idemque nunc valet de omnibus, quae a Christiana ratione aliena sunt.

**) Periit hic liber.

existimen opus esse magistris vivendi quam plerisque qui in ea versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, de continentia praecipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.“ Quamobrem philosophiam quae vulgo dicitur *), quia humanae cogitationis inventio est, neque ad principium generis humani, sed ad Milesium illum eiusque aequales pertinet, haud multum valere credimus ad vitam bene beateque agendam. Sapientiam vero (σοφίαν) omni modo defendimus, quia divinae est originis (divina traditio); hominemque non ad stultitiam, sed ad sapientiam nasci constat.“

Haec igitur est divina, quam Lactantius dicit, traditio, quam, licet obscurata esset multisque inquinata erroribus, pariter ad principem illum Deum atque ad naturam humanam, qualem ipse creavit, sapientissimi ac religiosissimi veterum retulerunt, unde ea profecta esse dicas, quae in libris eorum propius ad Christianam veritatem accedunt, ubi maioris alicuius divinationis speciem prae se ferunt, eorum quandam similitudinem referentia, quae in evangel. Luc. I, 41. sqq. et Ioann. 11, 50. sqq. traduntur **). Eaque ipsa est, quam suam quasi agnoscit pleraque iuventus, quae et ipsa traditam a maioribus parentibusque Christianam doctrinam animo libavit, sed, non minus fere quam veteres illi variis obcaecata erroribus, nondum ad plenam certamque veritatis cognitionem pervenire potuit. Agnoscit ut Cleanthea illa atque Aratea ***), ad quae Pauli apostoli in actis cap. 17, 28 verba pertinent, ita Virgilianum (Eclog. III.) „Ab Iove principium Musae (etiam studiorum scholasticorum), Iovis omnia plena †). Ille colit terras, illi mea carmina curae,“ quaeque in Ciceronis libro de off. 3, 17 ad Deum ipsa naturae lege homines ad filium suum pertrahentem retuli: „umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur. Feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis (den Urbildern der Natur und Wahrheit) —; ius civile ductum a natura —; iuris natura fons est.“ Agnoscit quae

*) Haec „quae vulgo dicitur“ addidi. Nam esse potest a Christ. veritate profecta consentiensque cum ea philosophia; ὄρεξις illa θείας σοφίας, quam Plato appellat, quamque Lact. quoque agnoscit.

**) V. lib. Eins ist Noth cet. p. 156. adnot. 2. De veritate divina nunquam prorsus exstincta (dem glimmenden Tocht) v. Augustin. de spir. et littera p. 57. ed. Olshausen; Lactant. I. V. 5. p. 549. ed. Walch. Hug. Grot. de verit. rel. Christ. p. 4. 14. 23—79. ed. Lond. a. 1823. Ad priscam illam traditionem etiam talia referri possunt, quale est quod Horat. Carm. I, 3, 32. significat diutius vixisse homines ante funestum Promethei facinus.

***) Exhibui in libro qui inscr. est Eins ist Noth cet. p. 204 sq.

†) Comparavi epist. ad Col. 1, 19. ἐν αὐτῷ (Χριστῷ) εὐδόκησεν πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι; 2, 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος.

ediscenda ei proposui Cic. de legg. 2, 7: „Sit igitur hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque quae gerantur, eorum geri iudicio ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri et qualis quisque sit (wie ein jeder Einzelne innerlich beschaffen sei), quid agat, quid in se admittat (1 Mos. 4, 7.), qua mente (mit wie reiner Gesinnung), qua pietate (mit wie wahrer Pietät) colat religiones (er die Pflichten der Religion durch die That erfülle), intueri, piorumque et impiorum habere rationem (gar wohl — unterscheide);“ eod. libro cap. 4: „Intelligi sic oportet, iussa ac vetita populorum vim non habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi; quae vis non modo senior est (ad personam refertur, ut aequalis) quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis Dei (der wie im Himmel, so auch auf Erden waltet und regiert). Neque enim esse mens divina (νοῦς) sine ratione (λόγῳ) potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere (muss nothwendig für Gutes und Böses ein innerlich bindendes Gesetz geben). Est enim ratio profecta a rerum natura et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans (denn es ist ja die Vernunft, deren Wirksamkeit, sowohl sofern sie zum Rechtthun antreibt, als sofern sie vor Uebertretung warnt, gleich mit der Schöpfung begonnen hat). Quae non tum denique incipit lex esse quum scripta est (wenn sie sich in einem geschriebenen Worte ausspricht), sed tum quum orta est. Orta est autem simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad iubendum et ad vetandum (welches wahrhaft gebietende und verbietende Kraft hat) ratio est recta summi Iovis.“ — Sicut autem his verbis ad Deum et patrem (Iehovam) et filium mente et cogitatione adducimur, qui se ipse seniorem esse Abrahamo dicit, quum totius mundi fuerit creator, cuiusque, eodem impellente spiritu divino, quo ipse omnis nobis est veritatis auctor, Moses ac prophetae locupletissimi testes exstiterunt: ita non minus profecto gravia sunt multisque in rebus sacrorum librorum doctrinae simillima, quae, et ipsa memoriae discentium commendata ac tradita, magis ad hominem humanamque pertinent naturam et conditionem in libro Cic. de sen. c. 21 (collat. lib. Sap. 9, 15 et 2 ad Corinth. 5, 4—10: denn dieweil wir in der Hütte sind, sehnen wir uns und sind beschweret. — — Wir sind aber getrost allezeit, und wissen, dieweil wir im Leibe wohnen, so wallen wir dem Herrn cet.): „Dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur. Est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo, deos immortales sparsisse (ut semina sparguntur) animos in corpora humana (cf. Act. 17, 26; Matth. 13, 24.),

ut essent, qui terras tuerentur, quique coelestium ordinem contemplantes imitarentur eum vitae modo atque constantia;“ et Tuscul. 2, 20. 21: „Tute tibi imperes (cf. 1 Mos. 4, 7.)! Quanquam hoc nescio quo modo dicatur, quasi duo simus (cf. ad Rom. 7, 23.), ut alter imperet, alter pareat, non inscite tamen dicitur. Est enim animus in partes tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Quum igitur praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coerceat temeritatem. Est in animis omnium fere naturâ molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodammodo et languidum“ (velut aegroti somno sopiti iacemus omnes, sentitque de se potissimum h. l. agi pleraque iuventus). „Si nihil aliud, nihil esset homine deformius. Sed praesto est*) domina omnium et regina ratio (λόγος), quae connixa per se et progressa longius fit perfecta virtus (in uno est perfecta Christo; in nobis fit, gestaltet sich). Haec ut imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum est viro“ (a quo appellata est virtus, Christenthum, i. e. proposita animo nostro perfecta illa Christi virtus, das Streben nach dem vollkommenen Mannesalter Christi**). „Quonam modo? inquies. Vel ut dominus servo, vel ut imperator militi (cf. Luc. 7, 7. sqq.), vel ut parens filio!“ Dominus, imperator, parens Deus, Christus; nos servi, milites, filii.

Non possum omnia persequi, quae, et quum hos similesque alios interpretarer locos, et quum reliqua docendi munera obirem, de Deo, de homine, de libertatis ac virtutis studio, de peccatis, de pugna homini proposita, de veritate, de humanitate ad hanc nostram rationem illustrandam in medium protuli, quae de artium quoque litterarumque studio, de orationis eloquentiaeque vi ac praestantia, de variis vitae communis officiis, de amore patriae, de re publica disputavi, quae de futura nonnunquam generis humani conditione, de morte, de immortalitate animi, de supremo etiam, quod omnes manet, Dei iudicio significavi. Ad ea, quae iam dicta sunt, comprobanda haec sufficient:

Satis inter omnes constat, et Platonem et Ciceronem ceterosque fere omnes,

---

*) „Non procul ab unoquoque nostrum Deus.“ Sed ipse Cicero confessus est, simulacrum tantum virtutis offerri naturae illi vitiis corruptae. V. infra.

**) Cf. Sall. Iug. I, 3. „Dux atque imperator vitae mortalium animus est. Qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est!“ Sequere haec, non tuae, sed divinae rationi obsequendo, non Sallustii, sed Christianos mores exprimendo, et eris beatus!

qui sapientissimi veterum perhibentur, mente quidem ac cogitatione summi Dei vim potestatemque esse assecutos*). Hic ille est, quem Cicero principem deum, omnium imperatorem appellat, „unde", quae Horatii sunt verba (Carm. I, 12, 17.) „nil maius generatur ipso, nec viget quidquam simile aut secundum," qui, ut est apud eundem (I, 3, 21. sqq. v. ab Orellio notata) „abscidit Prudens Oceano dissociabili terras cet." et ut Cic. ait Tusc. 1, 30 „in ipsis animis nostris dominatur." Nam providentiam divinam veteres illi plerique omnes agnoverunt, eamque non solum ab ipsa repetiverunt summi dei recta ratione, sed ad validissimam etiam in perspiciendis iudicandisque omnibus rebus mentis divinae aciem retulerunt. Egi de hac re, quum, electis olim e Cic. de rep. libro 2, 3. 4. quae translata a me in patriam linguam discipuli in Latinam verterent, verba illa interpretarer: „Romulus — qua erat providentia (vermöge seines Scharfblicks) probe intellexit cet." Memini me de summo omnium rerum iudice Deo impiorum piorumque rationem habente ita disseruisse, ut commotiore etiam animo eos refutarim, qui futurum de genere humano Dei iudicium nihil timentes ipsi huic providentiae divinae parum tribuunt. Quod vero Deum omnium rerum dominum, dominatorem, imperatorem (regnatorem Tacitus), rectorem, magistrum Romani scriptores appellant, magnam interpretibus ad Christianam ea omnia rationem revocandi opportunitatem praebent. Locupletissima omnium domini est vox (κύριος, δεσπότης) **). Primum enim, quod a domo (δόμος, δέμω) dicitur, Deum οἰκοδεσπότην significat, ut ipse Cicero (de n. deor. 2, 35.) ait „inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem et tanquam architectum tanti operis;" quo inter alios multos sacr. ser. locos 2. ad Cor. 5, 1. 2; ad Ephes. 2, 19. sq. ad Hebr. 3, 3. referri possunt. Deinde et patrem familias (herum et patrem) et herilem filium denotat; tum eum qui exhibet convivium, Gastgeber, Hausvater, qualis saepe et Deus et Christus in sacris proponitur libris; denique eum, penes quem summum rei publicae est arbitrium, δεσπότην (εἷς δεσπότης Χριςὸς in ep. Iud. 4.) — Quis est quin dispiciat, quid hodie quoque medium quasi inter Domitianum (dominum ac deum) Romanosque illos veteres rerum dominos et verum hunc generis humani dominatorem eosque, quibus ipse omnium rerum permisit arbitrium,

*) V. Lact. ed. Walch. p. 412. 159. „Ipsi deorum cultores — si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur." Cf. H. Grot. de verit. rel. Chr. p. 37. quaeque nos in libro, qui Prophet. Stimmen aus Rom. inser. est, attulimus. Vol. II. p. 112. sq.

**) Cf. Lex. Forcell. Nonnulla Lact. attigit in libro de vera sap. cp. 3. p. 409. sq.

per incertam lunam sub luce maligna vagetur! — Hunc vero Deum summum esse humanarum rerum arbitrum atque auctorem, ex ipsis illis Romanorum scriptoribus satis iam apparet. Ille unus omnium legum inventor, disceptator, lator; illius contemnere auctoritatem, ut „ratione pugnemus" *) et absurdum prorsus et impium est, quum in ipso uno sit summa simul ratio et auctoritas. Ab illo etiam vinculum repetendum, quod unum generis humani continet societatem, ratio et oratrio (Cic. de off. 1, 16, 3.), ut Ennii illa (§. 6.)

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat facit,
Nihilo minus ipsi lucet, quum illi accenderit,

commodissime ad eos retuleris, qui divinae gratiae ope divinique verbi auxilio recta ratione veraque usi oratione possunt viam comiter monstrare errantibus.

De homine „Cicero", ut Lactantius ait (de orig. erroris cp. 11), „quamvis expers coelestium litterarum, quoniam imaginem sapientiae tuebatur, idem tradidit quod prophetae: Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum est a supremo deo." Item (de n. d. II., 56; cf. Lact. ib. cp. 1) „natura", inquit, „homines humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem coelum intuentes capere possent. Sunt enim e terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium". **) Quam in sententiam illa Sallustii olim interpretati sumus (Catil. 1) „pecora natura prona — finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est" et (Iug. 1) „dux atque imperator vitae mortalium animus est. Qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde — clarus est, neque fortuna eget;" sed nullam esse monui animo imperandi vim, veram aeternamque gloriam nullam, neque nosse quemquam virtutis viam, nedum grassari ea posse ad illam gloriam, nisi ipsius imperatoris omnium Dei gratiâ ac misericordia gravissimis servitutis liberatus exsolutusque sit vinculis, in quae a Deo pariter atque a naturae legibus desciscentes nosque ipsi fugientes coniecti sumus. Hac sunt illae, quas, quum

*) Cic. de n. deor. 3, 4, 9. Laudavi h. l. quum rationis exponerem notionem. En, quid respondeamus iis, qui suam hodie auctoritatem divinae rationi, suam rationem divinae auctoritati opponere audent. Sunt vero illi qui Pietisten, hi, qui Rationalisten appellantur.

**) Geborne Supranaturalisten. Lact. l. l. cp. 10. Sibyllae refert verba: *Εἰκών ἐς' ἄνθρωπος ἐμὴ λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.*

evang. Matth. 18, 27 sqq. (— *καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ*) interpretarer, novas esse dixi tabulas, sine quibus salvi esse non possemus; haec est vera libertas, haec manumissio, haec liberorum conditio a coelesti veroque patre rite susceptorum. Quae omnia is nobis largitus est, cuius liberator generis humani animus tum maxime, quum illi vixerunt scriptores, tempora sua opperiebatur *), ut, haud minus quam Iudaeos, Romanos reliquasque omnes orbis terrarum gentes ad aeternam vocaret perduceretque libertatem. Et ipsi sentiebant veteres, se nullam nec virtutis, quam egregie prorsus in se perfectam et ad summum perductam naturam appellabant (Cic. de legg. 1, 8, 25), nec veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem tenere (de off. 3, 17, 6), sed umbra tantum et imaginibus uti, ac ne eas quidem sequi (Cic. ib.), praeclareque agi vel in sapientibus **), si essent simulacra virtutis (1, 15, 1), quum alius magis alio vel peccaret vel recte faceret (de fin. 3, 14), caderetque in omnes Persianum illud (Sat. 2, 61): „o curvae in terras animae et coelestium inanes!" ***) Intelligebant, non solum Dionysiis ac Tiberiis facinora atque flagitia sua ipsis in supplicium vertere, neque frustra praestantissimum sapientiae firmare solitum, si recluderentur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceraretur †), sed vexatis ac perditis omnibus nationibus iure se omnes plecti (Cic. de off. 2, 8); eoque se pervenisse fatebantur (Liv. praef.), ut nec vitia sua nec remedia pati possent. Nec fugiebat eos causa et origo tanti mali, seque impios, iustitia adversus Deum neglecta, cuncta ad se revocando (durch Selbstsucht), nihil inausum intemeratumque relinquendo, quum veritatis auctoritatem sprevissent, falsa omnium rerum specie deceptos, et maiorum luere delicta et sua praeterea culpa in hanc ruere perniciem fatalique vi abripi in hos errores videbant. Huc

*) Ita de Bruto Liv. 1, 56; adde: „Bruti quoque haud abnuit cognomen cet." Quoties bruti (a Gallis bêtes), quoties peioribus etiam conviciis Christiani appellantur!

**) Monui hoc loco, pravissime nonnunquam illa liberatoris nostri intelligi Matth. 19, 17 „Quid me bonum appellas? nemo est bonus nisi ipse Deus;" ac melius tum, quam quosdam theologos, discipulorum quendam haec verba interpretatum esse memini. Cf. Christl. Religionsbuch von Kniewel, 3. Aufl. p. 89.

***) Si cui forte in mentem venerit, quod Tacitus (Ann. 4, 57) de Tiberii incurva monet proceritate, cognitumque habuerit grande hoc hominis monstrum, multas omnibus temporibus eiusmodi proceritates nobilitatesque fuisse, sed incurvas tamen et coelestium inanes reputabit.

†) Tacit. Ann. 6, 6. V. quae idem de communi omnium corruptela profitetur in Prophet. Stimmen aus Rom Vol. II. pag. 198 sqq.

pertinent, quae variam nobis de his rebus disserendi occasionem praebuerunt, Horatii: Carm. 1, 3, „Audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas. Audax Iäpeti genus Ignem fraude mala gentibus intulit. — Coelum ipsum petimus stultitia neque Per nostrum patimur scelus Iracunda Iovem ponere fulmina." Carm. 1, 2, 25 sqq. „Cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter? 3, 6, 1 sqq. „Delicta maiorum immeritus lues Romane, donec templa refeceris. — Dis te minorem quod geris, imperas. Hinc omne principium, huc refer exitum cet." (cf. Epod. 7 „Furorne caecos, an rapit vis acrior, An culpa? responsum date! — acerba fata Romanos agunt Scelusque fraternae necis cet;") Ciceronis: de legg. 2, 7 „Deos — qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat (cf. 1. Mos. 4, 7) — intueri;" de invent. 2 § 165 „Unicuiqui virtuti finitimum vitium reperiri;" de off. 2, 5 „Homini plurima ex homine esse mala *) — nullam tam detestabilem pestem esse, quae non homini ab homine nascatur," et fraude quidem, dolo malo, orationis vanitate, falsa intelligentiae specie; — de off. 3, 10, 1 „Incidunt multae saepe causae, quae conturbent animos utilitatis specie; non quum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem improbum est), sed illud, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter (1. Mos. 3, 1, 4 sqq.);" cap. 8, 4 „Quare error hominum non proborum, quum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto;" cap. 17, 9 „Quocirca astutiae tollendae sunt, eaque malitia, quae vult illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimum;" § 14 „nec ulla pernicies vitae maior inveniri potest quam in malitia simulatio intelligentiae: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria?" 15, 9: „Haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant." — Neque minus publicam calamitatem ad hunc errorem et fatalem quidem (cf. ad Rom. 1, 24 *παρέδωκεν αὐτοὺς ο Θεός* cet.) retulit: Brut. 2 § 7 „Patrocinium pacis (vera autem est divina pax a Christo conciliata) exclusum est aut errore hominum aut timore," ad quae Meyerus haec notavit: „Errorem dixit lenissime consilia civium fatali quadam vi corrupta, quo refertur Graecum *θεοβλάβεια*. Sententiam istam antiquitatis explicavit Ruhnk. in Vell. 2, 57; errorem vero, quod nos dicimus Verblendung, similiter Virgilius in clarissimis versibus: Di meliora piis, erroremque hostibus illum." **) Ceterum

*) De his sua placita Latine proposuerunt discipuli.

**) V. lib. n. Eins ist Noth p. 157. sqq.

illa Ciceronis oratio ad eum ipsum pertinet Antonium, quem in prima Philippica cap. 1 — 3 falsa libertatis specie cives in istum errorem induxisse legimus, sicut malus ille generis humani genius tum maxime lucem quandam videtur offerre hominibus, quum maximam iis molitur perniciem. Cf. orat. Phil. 1, 2 init.

Nihil igitur mirum, quod nulla alia lingua vitiorum vitiositatisque humanae omne genus tanta copia, tanta perspicuitate, tanta denique vi ac potentia expressit. *) Funestam vero hanc Romanarum litterarum praestantiam nobis etiam ad Christianam fidem doctrinamque illustrandam plurimum profuisse, vel solis significatis vocabulis quibusdam apparebit, qualia sunt: fraus (cf. 1. Mos. 3) error, erratum, peccatum, delictum, nefas, scelus, flagitium, turpitudo, dedecus, deformitas, pravitas, perversitas, nequitia, malitia, malignitas, lascivia, audacia, petulantia, protervitas, libido, licentia, socordia, vecordia, temeritas, crimen, culpa, vitium, vitiositas, vanitas — errare, peccare, delinquere, delirare, violare, temerare (sancta, legem, religionem, virginem) **). Addimus e Cic. de off. 3, 13, 12 „Hoc autem celandi genus — non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non viri boni: versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri.“ Quapropter a re nostra haud alienum nobis est visum, cum Prov. Sal. 6, 13. 17. 18; ep. ad Rom. 3, 12 — 18 haec Rutilii Lupi (I., 18) comparare: „cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimae: oculi ad petulantem lasciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem — pes ad fugam. Prorsus ut aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus videatur,“ quae, diversa plane a liberatoris nostri virtute, loci illius nos admonuerunt in actis apost. 8, 23: „*εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα*, ad quem, quum interpretarer, e Cic. Phil. 3, 11, quam orationem eo ipso tempore cum discipulis legebam, haec attuli: „Quid est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus conglutinatus est,“ et Theocr. Id. 15, 49 *ἐξ ἀπάτας κεκροταμένοι ἄνδρες.*

Frustra quidem veteres, ut omnes omnibus temporibus, qui nondum ad veram Dei beneficio libertatem pervenerunt, contra hanc omnium communem naturae humanae vitiositatem pugnaverunt, sed pugnaverunt tamen, et maiore

*) Cf. Hoffmeister „die Weltanschauung des Tacitus“ p. 28. 59. 127 et quae in nostris, prophet. Stimmen cet. eodem pertin.

**) Cf. Sirac. 20, 4 et quae p. 48. de Astraea monebimus, librumque n. Eins ist Noth p. 122 sqq.

quidem multis in rebus veritatis humanitatisque studio, maiore etiam omnium virium contentione, virtute, fortitudine, industria, labore, patientia, constantia, prudentia, quam plerique recentiorum, qui sua, non Dei nituntur sapientia. Quare hanc exoptatissimam viae, qua itur ad illam libertatem, monstrandae habuimus opportunitatem. En pauca quaedam huius quoque rei exempla, unde non minus profecto, quam ex iis quae supra commemoravimus, verissimum esse apparebit, quod olim Hugo Grotius professus est *) „inter Paganos quoque non defuisse, qui dixerint singula, quae nostra religio habeat universa.“ Ac primum quidem veram pietatem atque honestatem in animo esse positam dixerunt, cumque ut malorum ita bonorum honestorumque omnium fontem esse perspexerunt. Hinc illud Persii: „ut nemo in sese tentat descendere, nemo! cet.“ **); hinc Ciceronis illa, quibus a voluntate omnia esse repetenda fatetur (de off. 3, 17, 6): „umbra et imaginibus utimur; eas ipsas utinam sequeremur!“ hinc egregia studii apud eundem (de invent. 1, 25) definitio: „studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio,“ de qua quum, ut ipsi Latine quaedam componerent, discipulis auctor fuissem, multa me significasse memini, quae ad illustrandas notissimas saer. scr. sententias Matth. 6, 33. *Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* 11, 12, *ἡ βασιλ. τῶν οὐρανῶν βιάζεται* cet. 22, 37. *ἀγαπήσεις κύριον — ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου* cet. ad Rom. 12, 11. *τῷ πνεύματι ζέοντες*, mirum quantum conferrent, praesertim quum rem publicam, ad quam veteres omne illud studium vel maxime applicaverunt, nobis divinam esse liberatoris nostri civitatem omnes facile intelligerent. Nihil igitur mirum, quod veritatem illi vix maiore intentioreque cura commendaverunt, quam nos nostris potissimum temporibus commendandam esse omnibus censemus, quia sine ea nec pietatem, nec iustitiam, nec amicitiam, nec vitae modum atque constantiam, neque omnino humanitatem esse cogitarique posse senserunt. Quare paulo diutius in interpretandis Tullianis illis quae supra commemoravimus „qua mente, qua pietate colant religiones“ versati sumus, quum esse Deum, esse filium eius Christum etiam mendaciorum omnium auctores diaboli credant atque contremiscant; ac frequentissime ad hanc veritatis notionem explicandam recurrimus. ***) Cuius rei maximam nobis

*) de verit. rel. Chr. p. 181.

**) Cf. Grot. l. l. p. 181 sqq. Adde Hor. Sat. I., 3, 26 sqq. „Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum ...? denique te ipsum Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim Natura aut etiam consuetudo mala cet.“

***) Multa huc pertinent in Horat. epist. I., 16 „Ne perconteris fundus meus optime Quincti cet.“ quae tamen absoluta iam hac commentatione interpretati sumus.

praebuit opportunitatem argumentum olim discipulis propositum „de veritatis studio adolescentibus maxime commendando, qui ad maiorem humanitatis laudem pervenire cupiant.“ Quod quam scite provectiorum quidam, etiam Christianam, et sponte quidem, secuti rationem tractaverint, vel pauca haec e duabus a me deprompta commentationibus verba probant: „Quum fuerit homo Iesus Christus, specimen fuit humanitatis, quum Deus fuerit, instar veritatis. Videmus igitur, humanitatem et veritatem arctissimo vinculo fuisse coniunctas in eo, cuius similes fieri omnes debent homines.“ Alterius hic est finis: „ — ut iure veram humanitatem humanorum omnium rectam iustamque ad divina applicationem esse dicamus. Quumque constet, ad divina applicationem contineri veritatis studio, quis est qui neget, necessarium prorsus esse ad veram consequendam humanitatem veritatis studium?“ Nec minor prope huius rei copia mihi fuit, quum proximo anno primae classis civibus auctor exstitissem, ut lecto per ferias aestivas Ciceronis de amicitia libro ipsi, quae in eo ad Christianam doctrinam proxime accederent quaeque minus cum ea congruerent, Latine exponere conarentur. Quid enim iis, qui solum Christum et veritatis et verae aeternaeque amicitiae auctorem nobis esse credunt, quique hunc solum animae, quam divinae particulam aurae esse veteres existimaverunt, re ac veritate dimidium esse (Hor. Carm. 1, 3, 8.) sentiunt, quid, inquam, his uberiorem ad veritatis in amicitia colenda vim illustrandam materiem potest praebere, quam quae XXIV huius libelli capite leguntur? Utque coniunctum esse debere veritatis studium cum verissimo amoris, caritatis, benivolentiae affectu, e secundo Cic. de off. libro cap. VII. VIII. perspeximus, ita clementiae quoque piaeque cuiusdam modestiae, qua multos etiam nostris temporibus Christianos carere scimus, eiusdem operis libro primo cap. XV egregiam laudem cognovimus. Est enim haec ibi oratio: „Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat; colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa — iustitia.“ Quae ita fere ad Christianam rationem revocanda esse dixi: habere quidem nos ipsam in liberatore nostro virtutis faciem, sed ob humanae naturae imbecillitatem nos quoque, etiamsi altius iam divinae gratiae beneficio provecti simus, vivere tamen eiusdem Christi simulacrum tantum (wir werden immer mehr nur in sein Bild verklärt), non ipsam eius exprimere imaginem; Deum vero Christumque et ipsos in cunctis hominibus nihil reperire nisi aliquas virtutis significationes, iisque

se clementissimos praebere, qui pia illa modestia ac ταπεινοφροσύνῃ, quam Graeci dixerunt, tanti se beneficii capacissimos ostendant.

Quae quum per se magna sint, summa tamen ac iuventuti nostrae saluberrima ea esse dixeris, quae ad ipsam vitam strenue agendam, ad virtutem factis probandam, ad explenda iustitiae adversus Deum hominesque officia pertinent. Nam eam Romani quidem pietatem esse crediderunt „quae etiam gravius quiddam quam amor significaret. — Proprie convenit in Deum, cui omnia debemus; deinde in patriam atque parentes, quorum caritas proxime accedit ad Deum; tertio loco erga omnes propinquos; postremo erga optime meritos, quos diligere ut propinquos et colere parentum fere loco aequum est *).“ In quo illud Christianae doctrinae convenientissimum, quod a grato in Deum animo **) omnia etiam in homines officia vel imprudentes repetebant, quum pietate neglecta ne humanitatis quidem legibus satisfieri posse crederent, quam in illa inesse putabant ***). Quanquam igitur tempus a publicis privatisque officiis sibi relictum otio litterisque concedi posse arbitrabantur, quanquam (quod quum legeremus in Cic. de off. III, 1, 6. cum sancto illo piorum ipsiusque liberatoris nostri ad preces Deo adhibendas secessu comparavimus) etiam Scipio, qui nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus, nec minus solum, quam quum solus esset, dicebat (ib. 3, 1, 1.), requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et a coetu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat: virtutis tamen laudem omnem in actione consistere statuerunt (ib. 1, 6, 6.) acriusque se quam concessum Romano ac senatori studium philosophiae hausisse ipse Iul. Agricola fatebatur (Tac. Agr. 4). Quod quam aptum accommodatumque sit ad Christianam vitae instituendae rationem, non minus facile intelligitur, quam Scaevolae illud (Liv. 2, 12.) „et facere et pati fortia Romanum est,“ ipsam Christianorum virtutem exprimere apparet. Sed hoc alio loco †) pluribus sum persecutus, militiae potissimum imagine, qualis ubique in sacris Christianorum libris proponitur, cum Romanorum militari arte vitaque castrensi in compara-

---

*) Manut. Comment. in Cic. epp. fam. lib. I. ep. 1.

**) Cf. Cic. Brut. 1, 5. „Θεοσέβεια — Dei cultus dici poterat, qui in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata.“ Augustin. de spir. et littera. p. 20. ed. Olsh.

***) Cic. de off. 3, 10, 5.; cp. 17, 4. 5. Cf. 2 Petr. 1, 7. Ἐν δὲ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν φιλαδελφίαν, ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην, allgemeine Liebe.

†) Prophet. Stimmen aus Rom. Vol. II. p. 185. sq.

tionem vocata *); quod a gymnasiorum ratione minime alienum esse vel commilitonum appellatione satis inter discipulos vulgari probatur. Hic pauca addo, quae ad imperatorias illas pertinent virtutes, quibus Romani, maiore quam ceterae omnes gentes usi fortuna, ad orbis terrarum imperium pervenerunt, a solis superati Christianis, si in fide hi perstantes sapere audent, si memores sacramenti ipsius Dei optimi maximi auspiciis vincere aeternaque victoria uti sciunt, si plurimum omnibus in rebus ad usum ipsamque vitam pertinentibus firmam quandam valere facilitatem **) re ac veritate comprobant. Nam hi sunt haud dubie, ad quos notissimum illud Platonis, qui interroganti cuidam, quo pacto beata fieret res publica, respondisse dicitur: Si aut qui sapiunt imperare, aut qui imperant sapere discant (Rutil. Lup. I, 6) iure referri potest (das königliche und hohepriesterliche Volk). Sicut enim in illis ea fuit virtus, quae propria dicitur Romani generis et seminis (Cic. Phil. 4, 5.), ita quidquid Christiani possunt pollentque a divino illo genere ac semine repeti debet, quo in omnem aeternitatem temporum ab ipso Deo praediti, nullis suum imperium terminis circumscriptum vident. Huc igitur retuli Ciceronis Phil. 10, 10. (cf. H. Grot. l. l. p. 185.): „Omnes nationes servitutem ferre possunt; nostra civitas non potest; nec ullam aliam ob causam, nisi quod illae laborem doloremque fugiunt, quibus ut careant, omnia perpeti possunt: nos ita a maioribus instituti atque imbuti sumus, ut omnia consilia atque facta ad virtutem et ad dignitatem referamus. Ita praeclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda.“ Nec minus quae haec excipiunt: „Quodsi immortalitas consequeretur praesentis periculi fugam, tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior servitus esset“ aeternam eorum significant poenam, qui ignava laborum dolorumque fuga crucis sub signo de recuperanda libertate pugnare ac vincere no-

*) Huc pertin. in Ambrosii de officiis clericorum L. I. cap. 5, 20. „Haec sunt arma iusti, ut cedendo vincat, sicut periti iaculandi cedentes solent vincere, et fugientes gravioribus sequentem vulnerare ictibus.“

**) Hoc proximae commentationis argumentum dedi discipulis (Quintil. X, 1, 1.). Paucis demonstravi, nec firmitatem nec facilitatem per se solam ad legem divinam exsequendam satis valere, sed et firmam esse debere facilitatem et facilem, quaeque in omnes, si fieri possit, beneficia conferre studeat, firmitatem; utrumque vero eo spectare, quod Christiana pariter ac Romana ratio postulet, ut omni in re factis comprobemus vim ac facultatem, qua ab ipso Deo praediti simus, collato liberatoris nostri dicto: „Qui volet quod Deus iussit facere, is hoc ipso usu me non mea proferre, sed a Deo missum esse comperiet.“ Egregia laus Serv. Sulpicii (Cic. Phil. 9, 5.) qui „quae proficiscebantur a legibus et a iure civili semper ad facilitatem aequitatemque referebat.“ Hac ratione Christian. quoq. partes salva fide inter se conciliari possunt.

luerunt. Exemplum, ut omnibus in rebus, ita in iis potissimum, ubi ad ardua nitentibus, velut iuventuti nostrae, duce opus est, longe plurimum valere, Sallustianus locus Iug. 94, 2. egregie ostendit *). Industriae, qualis etiam Christianos decet, si Romanam superat rationem, Rutil. Lupus I, 13. exhibet imaginem: „Haud mihi mirum videtur, quod tam excelsum boni gradum homo summi laboris escenderit. Nam cui praesto est studii voluntas, industria sit necesse est; industriam vero scientia consequitur; ex scientia copia et facultas ingenii nascitur; ex qua facultate vera et stabilis felicitas laudis oritur. Neque enim temere diligens studium virtutis fructus fortunae fallit.“ Quae quum paulo post Spillekii nostri obitum interpretatus paucis eius mentionem iniecissem, multorum commotiores animos perspicere mihi visus sum. Eiusdem fere generis est Marii apud Sallustium (Iug. 85, 33. sq.) oratio: „illa multo optuma rei publicae doctus sum — eodem tempore inopiam et laborem tolerare“ collatis Pauli in epist. ad Philipp. (cap. 4, 11. sqq.) verbis notissimis: Ich habe gelernt — mir genügen zu lassen. Ich kann niedrig sein und kann hoch sein. Ich bin in allen Dingen und bei allen geschickt, beides satt sein und hungern. — Ich vermag alles durch den, der mich mächtig macht, Christus! et quae apud eundem (Iug. 31, 16.) omnibus etiam nostra aetate Christianis adversariorum suorum nimiam perniciosamque auctoritatem aegro ferentibus animo commendari possunt: „Quodsi tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt, profecto neque res publica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vostra (ut ecclesiae divina beneficia, ipso ministrante spiritu oblata) penes optumos, non audacissumos forent.“ Similique modo ad veram prudentiam cautumque illum animum, cuius toties ipse Christus suis auctor fuit, referri potuit, quod explicatis Sallustii locis Iug. 55, 4. „quo clarior eo magis anxius erat“ et 65, 3; 82, 3. e Taciti Agric. 5. contuli: „discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque anxius et intentus agere“ (wir trachten und schaffen, aber mit Furcht und Zittern, dass wir selig werden); et quae in Iugurtha cap. 45, 1. leguntur: „in ea difficultate (quum exercitus iners esset, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua quam manu promptior) Metellum non minus quam in rebus hostilibus magnum et sapientem virum fuisse comperior (comperio), tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum“, die rechte Mitte haltend zwischen einem zu rücksichtsvollen Benehmen und zu grosser

*) Cf. Cic. de legg. 3, 13. „Ceteris specimen esto. Quod si est, tenemus omnia.“ V. quae sequuntur supra p. 22. sqq.

Strenge in der Disciplin. Quis enim non videt in hoc scopulo nunc quum maxime haerere Christianorum plurimos! Patriae vero amore prudentiaque in administranda augendaque re publica Romanos plurimis in rebus exemplo nobis esse posse, multaque ubique in veterum scriptoribus obvia harum virtutum documenta animum nostrum advertere, vix est quod moneam, et e Taciti scriptis collecta in libro nuper edito ad hanc ipsam Christianam rationem contuli *). Tantum significo, veteres iam Romanos, quamvis, ut inter recentiores quoque populos plerique, re ac veritate longissime abfuerint a iure gentium recte colendo, vidisse tamen quodammodo, quod nunc maxime Christiani reges magistratusque, eius invocato auxilio, qui unus omnium gentium patronus est et imperator, conantur ad exitum perducere: „malum esse custodem diuturnitatis metum, contraque benivolentiam fidelem vel ad perpetuitatem, omniumque rerum nec aptius esse quidquam ad opes tuendas quam diligi, nec alienius quam timeri, — nec tam imperium esse orbis terrarum appetendum, quam omnium gentium suscipiendum patrocinium“ (Cic. de off. 2, 7. 8.).

Ceterum ut nunquam, quod supra est dictum, verbis plus quam factis Romani tribuerunt, ac „plurumum facere, minumum ipsum de se loqui“ (Sall. Iug. 6, 1.) sapientis esse crediderunt, ita, quod proximo anno eoque ipso tempore, quo quid regis augustissimi ac dilectissimi valeret facunda oratio mox tota sensura erat civitas nostra, argumentum discentibus proposui, orationem ad res efficiendas non minus valere quam ferrum (ep. ad Hebr. 4, 12.) nulla unquam melius gens perspexit. Sed ad ipsam vitam retulerunt eloquentiam. Ita iam Socrates e coelo sapientiam devocaverat, „cuius ex uberrimis sermonibus,“ ut e domini ac magistri sui sermonibus apostoli *θεοδίδακτοι*, „exstiterunt doctissimi viri; primumque tum philosophia — haec, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, inventa esse dicitur“ (Cic. Brut. 8.).

*) Saepius me in ipsis scholis haec attigisse memini: Tac. Ann. 4, 33 „Cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publ. forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. cet. cet.“ Hist. 1, 16: „imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem;“ Agr. 3. „quanquam — Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem — natura tamen infirmit. hum. tardiora sunt remedia quam mala.“ Eiusdem generis sunt Cic. Off. 1, 25, 7 „eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio tueri rem publ. velint;“ ib. 26, 4: „quanto superiores sumus, tanto nos geramus summissius.“ Utinam omnes principes, omnes nobiles hoc sequerentur praeceptum! Multa de studiis civilibus nobilitatis superbia concitatis, sed de nimia etiam quorundam hominum exagitandae nobilitatis cupiditate apud Cic. Verrin. IV., 37; Sall. Iug. 5, 1. 85 ad nostra referri possunt tempora.

Ita antiqui illi Romanorum oratores loquebantur, non suavitate perfundentes, sed vi ac gravitate perfringentes audientium animos, inter quos Cethegus „popularibus olim, Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant, Flos delibatus populi Suadaeque medulla“ dictus est (ib. cap. 15.). Neque unquam negligentia, pigritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic impediri fas esse putabant, ut eos, quos oratione tutari deberent, desertos esse paterentur (Cic. de off. 1, 9.). Sed hoc quoque in genere aliud esse celare, aliud tacere sciebant (ib. 3, 12, 8.), sapientiaeque nulla magis in re dandam esse operam arbitrabantur (cf. ep. ad Col. 3, 16.). Quo id quoque retulerunt, quod nunc concionatores quidam cetera nonnunquam egregii negligere solent, cuius Cicero nobis in Bruto c. 17. auctor exstitit: „Antiquior est Catonis sermo et quaedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta — et adde numeros; et aptior sit oratio: ipsa verba compone et quasi coagmenta.“ Cf. Lactant. Lib. V. cap. 1. p. 531. sq. Ac nuper quae e Rutilio (II, 20.) translata in Latinum sermonem convertenda erant, eodem traxi „vehementer in eorum vitia invehi non licebat, reticere omnino non expediebat, suspiciose loqui (auf eine blos andeutende, aber doch verständliche Weise, in Gleichnissen) potissimum placebat.“ Neque a ceteris Romani artibus litterisque abhorruerunt, sed ita eas tractarunt, ut multis in rebus nobis quoque exemplo esse possint. Quo semper retuli discendi doctrinaeque notiones, quas non minus ad sapientiam quam ad singulas artes omneque litterarum genus pertinere arbitrabantur (Cic. de off. 1, 30, 2; Hor. carm. 1, 1, 29. sq.); retuli etiam modestiam quandam, qua vel praestantissimorum philosophorum sententias placita (subjective Ansichten) vocabant, qua Cicero (epist. IX, 20.): „Veniunt, inquit, etiam qui me audiant, quasi doctum hominem, quia paulo sum quam ipsi doctior.“ Verum enim vero magna atque excelsa *), non maxima ac summa, humanitatis illud simulacrum, non ipsam humanitatem, ad quam sacrae nobis litterae quaeque cum iis consentiunt a fide Christiana profecta litterarum monumenta viam aperiunt, spectasse eos videmus, solatiumque ex iis perditae desperataeque, non debilitatae quidem, sed in meliorem usque statum adducendae rei publicae petivisse cernimus **). Quo pertinent illa Theocriti Id. IX, 35. sq. — *ἐμὶν Μῶσαι φίλαι· οὓς γὰρ ὁρεῦντι*

*) Cf. lib. n. Eins ist Noth. p. 198. *).

**) Multa huius generis in epistt. Cic. inveniuntur; eoque potissimum, Pauli apostoli epistolis in comparationem vocatis, argumentum illud retuli supra commemoratum: Magnorum virorum epistolas quoque cognoscere operae esse pretium.

Γαθεῦσαι, τῶς δ' οὔτι ποτῷ δαλήσατο Κίρκα (cf. Id. XI, 1. sqq. Sunt vero alia multa quae nihilominus doctorum humanitati officere possunt!), et e multis, quae attigimus, haec Ciceronis: epist. V, 21. — „utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, litterulis nostris, praeterea conscientia etiam consiliorum meorum (dessen, was ich gewollt); pro Arch. poeta c. 7. — haec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant — pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur" collato Psalm. 63: „Wenn ich mich zu Bette lege, so denke ich an Dich (o Gott); wenn ich erwache, so rede ich von Dir; denn Du bist mein Helfer; Horat. Ep. 2, 1, 125 sqq. „Si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari: Os tenerum pueri balbumque poeta figurat; Torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem; Mox etiam pectus praeceptis format amicis, Asperitatis et invidiae corrector et irae; Recte facta refert, orientia tempora notis Instruit exemplis." Quid vero Christi exemplo notius esse debet! Quis melius illis fungi potest muneribus, quam qui ad hunc omnia revocat!

Quamobrem paulo iam provectiores in his litteris discipuli antiquitatis studia in omni genere doctrinae plurimum ad humanitatem prodesse, non solum verissimum esse agnoverunt, sed, quum ipsi, quid sibi de hac humanitate potissimum videretur, exponerent, satis scite locos e Tacito et Gellio a me suppeditatos ad refellendas pravas quasdam recentiorum de humanitate opiniones contulerunt, Taciti in Agr. c 21: „paulatim discessum ad delenimenta vitiorum — conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset," Gellii 13, 16: „Qui verba Latina fecerunt, quique iis probe usi sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque a Graecis *φιλανθρωπία* dicitur (Basedow's Philanthropinismus), et significat dexteritatem quandam benevolentiamque erga omnes homines promiscuam, sed humanitatem appellaverunt id propemodum, quod Graeci *παιδείαν* vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus *): quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, sunt vel maxime humanissimi." Senserunt etiam plerique, magnam omnibus in contentionibus, erroribus, vitiis ac corruptelis, quibus Christianae fidei sapientiaeque vi nondum sit obviam itum, inter ultima illa Romanae rei publicae tempora, ad quorum aliquam pervenerant notitiam, et hanc nostram aetatem intercedere similitudinem. Quo pertinent argumenta satis apte a plerisque tractata: „Quaeritur, unde factum sit, ut philosophia Epicureorum et

*) Est vero nobis Zucht (Uebung) und Ermahnung zum Herrn; nam nemo bonus nisi unus Deus quemque suo beneficio in libertatem vindicavit; ab eo igitur uno bonae omnes liberalesque proficiscuntur artes.

Stoicorum una floreret apud Romanos?" et „Potuisse Ciceronem inter omnes Romanos optime de officiis scribere," iis scilicet temporibus, ubi, potentissimo ac splendidissimo Romanorum imperio, nihil in eruditissimorum populorum moribus integri, nihil honesti supererat, ubi eloquentia etiam, quum ad summum esset evecta fastigium, nihil ad communem calamitatem avertendam valebat (Cic. Brut. 2, 7, 8). Quodque ipse Cicero dixit (d. n. d. 1, 32): „utinam tam facile vera invenire possim, quam falsa convincere," id in totam cadit antiquitatem, cadit etiam in haec nostra tempora, quatenus Christianae veritatis virtutisque vi ac vigore destituta sunt. Ea etiam, ad quae omnes maximo ardentissimoque studio feruntur, quum immortalitatem ac novum eundemque verae ac sempiternae pacis ac felicitatis beneficia spondentem rerum ordinem summo amplectantur desiderio, omnes omnibus temporibus augurari tantum ac mentis quadam divinitatione comprehendere, nunquam sine uno illo beatae aeternaeque vitae auctore arripere animo ac certissimae beatissimaeque spei fiducia occupare possunt. Quae ut aliis multis locis *), ita, quum de clarissimis apud Graecos Romanosque mortis pro patria oppetitae exemplis quaedam a discipulis Latina lingua composita essent, comparatis inter se Ciceronis ac Senecae Paulique apostoli sententiis: „tota philosophorum vita commentatio mortis est; disiungamus nos a corporibus, i. e. consuescamus mori; tota vita discendum est mori; *καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω* (morior quotidie) *νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἀδελφοὶ, ἣν ἔχω ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν* (1 ad Cor. 15, 31) probavimus **), diligentius etiam loco illo notissimo Virgilii (Ecl. IV., 4 sqq., 15 sqq., 24 sq.), quem ediscendum discipulis proposueramus, pertractato ***):

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.

*) Ut ad Horat. carm. I, 3, 32. sq. „Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum" qui velut gladiator ac proeliator ingenti gradu incedit, ut validus appellatur auctor ille mortis Diabolus (Matth. 12, 29) validiori tantum superabilis; ad Cic. off. 3, 10, 12 „Deum adhibere testem i. e. — mentem suam (*μένειν*, perdurare), qua nihil homini dedit deus ipse divinius". Imaginem quandam futuri de universo genere humano iudicii paucis significavimus ap. Sall. Iug. 94, 4 „secundis rebus ferocibus" — 5 „repente a tergo signa canere."

**) V. de immort. anim. veteribus dubia Lact. p. 350 sq. ed. Walch. II. Grot. l. l. p. 72 sq., 93 sq. Nonnulla etiam ad Horat. Epist. 1, 16, 79 monuimus, quum h. l. interpretaremur.

***) Pauca tantum hic in adnott. infra positis attingimus. Cf. Tac. Hist. 4, 13; Suet. Vesp. 4. Lact. p. 418 sq. Grot. p. 175 sq.

Iam redit et Virgo *), redeunt Saturnia regna **);
Iam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum ***)
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina †), tuus iam regnat Apollo!
Ille deum vitam accipiet divisque videbit
Permixtos heroas et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
Occidet et serpens et fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum. ††)

Haec fere habui, quae ad consilii mei rationem explicandam et repetitis ex ipso usu nostro, quantum memoria ac recordatione assequi poteram, exemplis probandam persequerer. Nec ingratum hoc munusculum quum discipulis meis dilectissimis, tum viris quoque obtulisse mihi videor, qui non carentes ipsi fide Christiana rerumque, de quibus agitur, periti, exstitisse aliquem gaudebunt, qui in hac quoque provincia divinas veritatis leges exercendas esse dixerit, quaeque plerumque quasi semotae cuiusdam dictionis arcana raram huic illi vocem elicere solent, ea velut ex altiore quodam loco concionabundus professus sit. — Matth. 10, 27: ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων! — Quibus si liberius altiusque nonnunquam processisse videbor, esse satis multa, quibus excusatum me habere possint, confido, praesertim si civitatis Christianae morum, quales vulgo esse solent, paulo magis eos piget taedetque. Neque etiam eos adversaturos mihi esse credo, qui, quum sint honestissimi iuventutisque amantissimi viri, non impediunt quemquam, cuius voluntati se diffidere non posse credant, quominus in hoc educandae eru-

---

*) Iustitia, Astraea, Δίκη, quam conversatam olim cum mortalibus, postremo sceleribus eorum offensam coelum repetivisse credebant.

**) Ut Davidis regnum a Messia restitutum iri Iudaei sperabant, ita Romani quoque humana ac caduca, non coelestia cogitabant; Asinium Virgilius, Vespasianum Tacitus oracula implevisse arbitrabantur. Ad eandem rationem Christiani Romanorum pontifices revoluti sunt.

***) Paulatim beatiorem istum statum adductum iri putabant. Sensim divina nostra civitas adolescit, donec ad virilem auctoris sui aetatem perveniat.

†) Lucina a luce d.; nec deesse haec potest divinis partubus, quorum ipse Deus auctor est.

††) Amomum (in ep. ad Hebr. 9, 14 Christus ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ) purissimum omnique labe carens balsamum, cuius arborem Plinius alieno solo non provenire, sed in sola Syria (Palaestina) nasci dicit. Cf. Lact. p. 447 „Erit illa die radix Iesse" cet. et egregia loci Ierem. 8, 21. 22 interpretatio in Spitiae libello „Bibl. Andachten" I. p. 91 sqq. edit. alterius Hal. 1838.

diendaeque iuventutis munere suo utatur consilio, quamvis gravissimo in errore versentur, qui humano nos posse hac in re uti arbitrio putant, quum solam divini magistri sequi debeamus voluntatem, summaque iniuria plurimi sacra omnia procul esse arcenda a profanis quae dicuntur statuant. Sunt vero etiam, inter quos, si fortasse haec legant, Ovidianum illud commodissime ad me referre potero:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli!

qui, quum „Domino et patri liberaliter servire" *) vera sit libertas, hanc nostram iuvenilis institutionis rationem illiberalem esse clamitabunt, meque, ut nuper Halensis quidam in librum meum, qui hanc ipsam Christianam rationem in Taciti scriptis persequitur, vehementissime est invectus, notissimo illo „Paule insanis!" identidem increpabunt. Quibus nihil ego aliud imprecabor, nisi ut Deus errori eorum ignoscat ac meliorum iis cogitationum auctor fieri velit, virorumque et uti et consolari me sorte dicam, quorum cum ingenio ac virtute hanc mearum virium tenuitatem vix ausim comparare. **) Quodsi, quae una fere res est, quam sequuntur, Latinae linguae scientiam ac facultatem hoc nostro usu imminui opinantur, legant, si placet, eorum adolescentium, quos his ipsis annis in Academiam abituros dimisimus, Latine conscriptas commentationes, quaeque ad firmam quandam in huius linguae usu facilitatem probandam subito e sua in Romanam transtulerunt. Omnes quidem potuisse sane melius, multos vero ita scripsisse fatebuntur, ut,

---

*) V. Augustin. de spiritu et littera ad Marcellinum liber, ed. Olsh. p. 70.

**) V. quae in libelli nostri „Eins ist Noth cet." praef. p. V. sq. ex Augustini confess. attulimus. Dignissima, quae hodie quoque legantur, Lactantii sunt libr. V. initio proposita: — „Si quis erit, qui inciderit in haec — sententiam differat in extremum. Sed novi hominum pertinaciam; nunquam impetrabimus. Timent, ne a nobis revicti manus dare aliquando, clamante ipsa veritate, cogantur. Obstrepunt igitur et intercedunt, ne audiant, et oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. — Quid igitur? operamne perdemus? Minime. Nam si lucrari hos a morte, ad quam concitatissime tendunt, non potuerimus, — nostros tamen confirmabimus, quorum non est stabilis ac solidis radicibus fundata et fixa sententia. Nutant enim plurimi ac maxime qui litterarum aliquid attigerunt." Nec abhorret ab hac nostra κατηχήσει (cf. Cic. de off. 3, 2 supra p. 7 laud. „talibus vocibus aures undique circumsonare"), quod de simillimo Speneri studio Hossbachius V. Cl. monuit in libro „Spener u. s. Zeit" Vol. 1. p. 235: „Der Sinn der Meisten war zu verdüstert; sie hielten es unter ihrer Würde, mit solchen — Katechisationen — umzugehn, und es fehlte unter ihnen nicht an Spöttern, die da sagten, der Churfürst habe statt eines Oberhofpredigers, den er gesucht, einen Schulmeister bekommen" (ut nos contra quidam non superiorum classium praeceptorem, sed concionatorem esse clamabunt)." Diese üble Nachrede verachtete Spener (famam scilicet ac rumores, non ipsos homines, a quibus, si suarum periti sint rerum, equidem libenter discam, quamvis nunquam eos secuturus sim). Ich lasse mich, sagte er, solches nicht irren, sondern danke Gott, der mich gelehrt zu erkennen, dass keine Arbeit zu einiger Seelen Erbauung angesehn für — jemand unsres Standes unanständig zu achten sei." Cf. etiam Aug. Herm. Franke von Guerike p. 309 sqq.

pro eo, qui vulgo adhiberi soleat modulo, vel severiori ac minus etiam aequo iudici satisfecisse videri debeant. In quo illud magnopere laetor nec unquam Dei bonarum rerum omnium auctoris sanctissimo nomine laetari desinam, quod, quum nuper de Quintilianeo illo scripsissent „Pectus est quod disertum facit“ (ad Demosthenem potissimum ac Ciceronem referendo), ardentiore aliquo antiquitatis pariter ac Christianae pietatis studio incensis, quales erant inter illos egregii quidam adolescentes, sane opportunissimo, Spillekius, brevi ante obitum suum tempore, nunquam, se quidem gymnasii rectore, qui in Academiam abiissent melius scripsisse laeto gratoque confessus est animo. Quumque multo minus meae me hoc industriae meisque ac discentium laboribus, quam divino beneficio sanctioribusque his discipulorum quoque studiis tribuere dicerem, haud perinde prorsus oblocutus ac solent multi meram hanc aut superstionem aut simulationem opinari, agnoscere videbatur, quanquam natura sua magis in hoc fructu fidei quam in ipsa fide acquiescebat. Verum haec ad paucos, ad omnes illa pertinent, quae, quum in discentes non minus quam docentes nunc maxime cadat Ecclesiastae sententia (1, 18): „ubi sapientiae multum, ibi multum offensionis, quique scientiam auget, auget idem animi aegritudinem“ *), omnes et monere et erigere consolarique possunt Iesaiae verbis (40, 28—31): „Iehovah Deus aeternus — nullo unquam nec cursu nec labore fessus, cuius nemo assequitur intelligentiam, tribuit fessis vigorem, auget robur deficientibus. Nam pueri cursu ac labore fatigantur, fortes etiam iuvenes labentes concidunt“ (praeceptorum quoque senescunt vires, peritque docendi alacritas), „sed iis, qui Iehovae opperiuntur auxilium, redintegrantur vires, surguntque pennae velut aquilis **); currunt, nec deficiunt, pergunt iter, nec fatigantur!“

---

*) V. ipsum sacrum codicem. Nec Luth. nec LXX huius loci sensum plane assecuti sunt.

**) Ita LXX. quoque: πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί. Lutherus: „dass sie auffahren mit Flügeln wie Adler.“

Corrigenda: Pag. 6 vers. 9 lege: amplecteretur; pag. 13 vers. 11 ab ult. l. multi sponte; pag. 20 vers. 2 ab ult. delend. punctum post Luet.

Schulnachrichten.

A. Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

Oberprima.

Ordinarius der *Director;* im Sommer Prof. *Yxem.*

Latein. Im Winter: Horat. carm. lib. II. Der Director *Spillcke.* 2 St. Im Sommer: Die ersten Oden des 1sten Buchs und Epist. 1, 16; 2, 1 nebst Wiederholung einiger schon gelesenen Oden. Prof. *Bötticher.* 1 St. Im Winter: Tacit. Ann. 4, 32—35; 2, 5—26, und eine Auswahl aus Cicero's Briefen. Im Sommer: Tacit. Ann. 1, 1—30. (Privatim dess. Dial.), Cic. Brutus gröfstentheils. 3 St. Stilübungen und Censur der lat. Aufsätze, Exercitia und Extemporalia. 3 St. Prof. *Bötticher.* Zusammen 8 (resp. 7) Stunden. Aufser Tacit. Dialog war die Repetion der Bücher Cicero's von den Pflichten und Vellejus den Schülern zur Privatlectüre empfohlen, und wurde in den letzten Wochen davon öffentliche Kenntnifs genommen.

Griechisch. Im Winter: Plat. Gorgias; im Sommer: Plat. Protagoras ganz, cursorisch. 4 St. Prof. *Yxem.* — Im Winter: Soph. Electra. 2 St. Der *Director;* im Sommer: Hom. Ilias lib. XXII, XXIII, XXIV, XI, XII und XIII. 2 St. Prof *Siebenhaar.* Zusammen 6 St. — Mit einigen Schülern las der Prof. *Bötticher* im Sommer die Idyllen des Theokrit.

Deutsch. Censur der schriftlichen Arbeiten über Themata nach freier Wahl. Geschichte der deutschen National-Literatur. (Im Winter: Sturm- und

Drangperiode bis Theodor Körner, im Sommer: Ulphilas bis zum Schlusse der Periode der Minnesänger.) 2 St. Prof. *Yxem.*

Hebräisch. Im Winter: ausgewählte Psalmen und cursorisch die Genesis; im Sommer: Psalm 1—16 und die Genesis cursorisch fortgesetzt in 2 Stunden. Als häusliche Arbeiten wurden Exercitien und grammatische Commentare über ausgewählte Psalmen geliefert. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Französisch. Ségur, histoire de Napoléon et de la grande armée, von der Mitte des 2ten Buches bis zu der des 6ten. Exercitien und Extemporalien. 2 St. Oberlehrer *Heydemann.*

Religion. Im Winter: Einleitung zur Glaubenslehre. 2 St. Der *Director.* Im Sommer: Einleitung in die Schriften des A. T. vereinigt mit Unterprima. 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Geschichte. Allgemeine Geschichte von der Zeit unmittelbar vor der Reformation bis zum Ende des 18ten Jahrhunderts. — Repetitionen. 2 St. Oberl. *Heydemann.*

Mathematik. Im Winter: Kegelschnitte. 2 St. Reihen, Theorie der Gleichungen. 2 St. Im Sommer: Wiederholung der Stereometrie und Trigonometrie. 2 St. Wiederholung der Algebra. 2 St. Zusammen 4 St. Prof. *Dove.*

Physik. Im Winter: Optik; im Sommer: Allgemeine Physik. 2 St. Prof. *Dove.*

Philosophische Propädeutik. Im Winter: Wiederholung der Logik nach Trendelenburg's Leitfaden. Im Sommer: Geschichte der Philosophie bis auf Platon und mit besonderer Rücksicht auf diesen. 2 St. Prof. *Yxem.*

Unterprima.

Ordinarius Prof. *Yxem.*

Latein. Im Winter: Sallust. Jug. 1—62 und Cic. de off. 1, 1—6. 25. 26. 31; 2. 7. 8; lib. III. mit Auswahl; im Sommer: Sall. Jug. 63 bis zu Ende und Cic. Philipp. gröſstentheils. 3 St. Stilübungen und Censur der lat. Aufsätze, Exercitia und Extemporalia. 3 St. Prof. *Bötticher.* Zur Privatlectüre war Sall. Catil. und im Sommer die Wiederholung des im Winter aus Cic. de off. Gelesenen empfohlen. Aus Horat. carmin. lib. II. einzelne Gedichte wiederholt und gelernt und lib. III. ganz gelesen. 2 St. Prof. *Bresemer.* Zusammen 8 St.

Griechisch. Im Winter: Platon's Menon, im Sommer Platon's Protagoras, die erste Hälfte, statarisch. 3 St. Wiederholung einzelner Abschnitte der Grammatik, im Sommer: Extemporalien. 1 St. Prof. *Yxem.* Homer; im Winter: die ersten 8 Bücher der Odyssee; im Sommer: Il. lib. 5 und lib. 15—17. 2 St. Oberl. *Heydemann.* Zusammen 6 St.

Deutsch. Censur der Aufsätze; die Themata wurden gegeben. Geschichte der deutschen National-Literatur, im Winter: Sturm- und Drangperiode; im Sommer: Ulphilas bis zum Ende der Periode der Minnesänger. 2 St. Prof. *Yxem.*

Hebräisch. Vereinigt mit Oberprima.

Französisch. Wie Oberprima. Oberl. *Heydemann.*

Religion. Im Winter: Einleitung in die Schriften des N. T., im Sommer vereinigt mit Oberprima. 2 St. Prof. Dr. *Uhlemann.*

Geschichte. Allgemeine Geschichte von der Zeit unmittelbar vor der Reformation bis zum Ende des 18ten Jahrhunderts. 2 St. Repetitionen aus der alten Geschichte. 2 St. Oberl. *Heydemann.*

Mathematik. Im Winter: Trigonometrie 2 St. Theorie der Gleichungen 2 St. Im Sommer: Stereometrie 4 St. Prof. *Dove.*

Physik. Im Winter: Optik. 2 St. Im Sommer: Allgemeine Physik. 2 St. Prof. *Dove.*

Philosophische Propädeutik. Im Winter: Psychologie, im Sommer: philosophische Grammatik. 2 St. Oberl. *Heydemann.*

Obersecunda.

Ordinarius Prof. *Siebenhaar.*

Latein. Im Winter: Cic. orat. pro T. Annio Milone und de amicitia; im Sommer: pro Sex. Roscio Amerino. Livius (am Schluſs jedes Semesters statt Cic.) von lib. XXIII. cap. 24 bis lib. XXV. gegen Ende. 3—4 St. — Im Winter: Virg. Aen. lib. II. von v. 370 an und lib. III.; im Sommer: lib. IV. und den gröſseren Theil von lib. V. 2 St. — Lat. Exercitien. 1 St. Zusammen 6—7 St. Prof *Siebenhaar.* — Lat. Stilübungen zur Einübung der Syntax; Erklärung und stete Wiederholung einzelner aus Cicero und Virgil auswendig gelernter Abschnitte. 2 St. Prof. *Bötticher.* Zusammen 8—9 St.

